PALLADIUM SPAGYRICUM.

PETRI JOANNIS FABRI,
DOCTORIS MEDICI, MONSPELIENSIS PHILOCHYMICI CASTRONOVODARENSIS.

Editio Secunda.



ARGENTORATI.
Sumptibus Heredum LAZARI ZETZNERI.
ANNO M. DC. XXXII.

LECTORI.

εὖ διάγειν.

Pollicitis dives, ut Sulmonensis vates loquitur, quilibet esse potest: sed præstare fidem, plus difficultatis habet. Quoniam igitur in evulgatione priorum Fabri tractatuum, promisimus, siquidem Lectoribus grati fuerint, & accepti, uti meritò omnibus Medicis, Philosophis, Chymicis non gratissimi esse haut possunt, Nos Palladium quoque spagyricum, secretiora Chrysopœiæ adyta recludens, prioribus annecturos. En philo-chimice, non Charetis pollicitationes, sed aureum ipsum Palladium, seu auriferum Palladis ramum; qui utinam in hortulo tuo, ingenii vivacis radiis titillatus, & lucubrationum pluviis irrigatus, nec non laborum fervore coctus, JOVÆ benedictione, crescat, vigeat, vireat, fructumque uberrimum, poma scilicet Atalantæ, ferat. Quod si subtilissimus noster Petrus Joannes porrò quid Fabri-caverit, in Galliis, Tibi certe Germane quamprimum illud germanè communicabimus: qui studiis tuis promovendis, sumus studiosissimi. Iterum Vale.

I. H. D.

PALLADIUM SPAGYRICUM PETRI JOANNIS FABRI DOCTORIS MEDICI MONSPE-liensis Philochymici ex Tectosagum provincia nati.

LUDOVICO XIII. GALLORUM ET NAVARRÆORUM REGI, P. P.

Pio, Felici, Christianissimo.

FELICITATIS publicæ, hoc hoc est tuæ, LUDOVICE REX, *insigne, eximiumq́; bonum est, ut rectè factorum vel uberrimus sit fructus, benefecisse. Si quod ergo in hoc opere arduũ, si quod invidiosum erit negotium, satis hoc unum erit, quòd in tuo Regno sum natus, in quo parere, est libertas; bene loqui, laus; fortiter facere, gloria. Enimverò quidquid feci, feci oppidò ex more optimo & patrio amore, ut quàm maximè possem prodessem pluribus: Imò ut tibi Principi rerum magnarum cupidissimo natus, obsequelam cupidè facerem. Quidni enim facerem vel meritò tuo,*

mei, magnique Regis? In hoc igitur me recondidi, in hoc me multitudini eduxi, in hoc elaboravi unum, in hoc scripsi, magnum ut aliquid & notabile, majusque quàm dici, fieri aut credi posset, exiret. Sed quantum quantum id omne demum esset, id reipsa utibile tuis, tibique, teque maximè dignum esset. Quid id verò? Nunquid opes & divitiæ? Sanè quidem ingentes, adeoque opes illæ, ac divitiæ, quas tui haberent justè, quibus etsi haberentur, tamen haberentur inculpatè. Atque ut tuo commodo, crescunt tuorum commoda, sic in te unum hæc omnia commodissimo incremento redundarent. Quamobrem isto operæ meæ pretio, spero factum salubriter, ac feliciter, ut quo ornamento nullum principis fastigium pulchrius est, aut ornatius, mei Regis corona splendescat ob cives servatos. Sicquè continuatâ in me felicitate publicâ, possim ego labore hoc quantulocumque aliquando mereri civicam. Etenim quo meliori jure, & quâ ampliore laude? Certè summorum Regum opera & si quid supra Reges est, sacra arcanaque divinorum ingeniorum mysteria, & laboriosa documenta, densa caligine circumfusa, atque ambagibus, de industria quàmplurimis intrincata, non sum passus, haud dicam in oblivionem ire, ne quis posteà sciret: sed ne diutius quidem ferre potui, ut in obscuritate versarentur. Ad tam sublimia adspiravere, & proximè attigere, ne dicam obtinuere, Aegyptiorum, Arabum, aliarumquè gentium,

gentium magni Reges. Hinc notus Hermes ter maximus, hinc Geber inclytus, hinc Mithridates innumerique alii, quos oblitum fuligine os, & decoratæ carbonibus nostris manus, fecere adepol, utibili hac in genus humanum scientia gloriosiores; illis siquidem flamma Prometheo authore deorsum è cœlo derepta, sursum altiùs se tollens, dedit iter ad æternitatem. Regibus sanè apud Reges purissimo honestissimoque hospitio divertitur: Iis ego ducibus obsequor, quin sequor in regiam, ad te toto si quis unquam, eoque optimo in te adfectu. Sic enim me facere decet: & verò omnia quà divina, quà humana sic me facere jubent. Atq; utinam, Rex optime, vel impendio vitæ in bonas artes meæ, tibi vitam adstruam, instruamque; imò ut majus aliquid, verè ex animi mei sententia dicam, nō ætatem modò tuear tuam, & tuorum, his salutaribus, sed ævum etiam, ita me Deus amet, tuo si possim adiiciam: & ut sublimius quid eloquar, rationem excogitatam peruelim, extendendæ tibi mortalitatis, & quantum plurimum potest, in immortalitatem intendendæ. Ergo si quis tibi (& verò est multus) si quis inquam tibi bonarum artium amor, & si placet conquiescat in tuo numine, ac fide, quâ nulla esse potest sanctior, hoc opus, quod qualecunque est, totum est tuum. In eo propalàm exit vitalis verè vita, & vera vivendi scientia, Votum saluti Regis. Sed quoniam mirantium magnus, invidentium major

jor populus est, illos non moror: at hos contrà, si merui, aut si quando mereri fas erit tute Rex maxime, quem boni omnes tam supra se, quàm pro se, esse sciunt, præsidium inquam mihi prima in fronte occupare propera: servare siquidem & tueri bonos, ne qua obtrectatio, neve quis livor subrepat, proprium est eximiæ sanè, & excellentis Regiæque penitus, hoc est tuæ fortunæ. Sic proavorum annos, fatalemque gloriam vincas, ut nulla ex transverso fors incurrat, nihilq; quamdiu inter mortales regnas, in te tuosque, mortale esse sentias. Vale. Castronovarrio ad Calendas Aprilis, anni M. DC. XXIII.

Tuo N. M. Q. Devotus
Petrus Joannes Faber
Medicus Philochymicus.

CAN.

CANDIDO LECTORI SALUTEM P. D.

MAIOR (& ut verum fatear) maxima major pars mortalium, Lector, de Alchymia conqueritur, quòd ambiguis verborum ambagibus, rerumque novis nominibus, & nusquam gentium auditis doceatur: Quòd aureos promittat montes, & tandem nihil præter fumos, & labores habeat: quòd vitæ verè vitalis & longæ, arcanis suis abundè sit, & tamen artifices omnes, in ipsomet chymico vitæ apparatu vita destituat: nec huic communi Chymicis omnibus ut opinatur malo, turba tantùm & imprudens vulgus ingemuit, clarorumque virorum, hic affectus querelas evocavit: inde illa maximi Pontificis Joannis exclamatio est: *Spondent quas non exhibent divitias pauperes Alchymistæ.* Non artis hæ sunt, sed artificis culpæ; nec sæpe artificis, huic siquidem etsi magno, & errandi inest potestas, non quia manca est ars, sed quia id in quo exercetur aut inutile, aut inobsequẽs arti est. Alchymiæ divitiarum affatim est, & satis virium, ad maximarum rerum cõsum-

mationem obeundam ſi tota bene exerceatur. Sed ubi per incuriam, negligentiam, vel potius inſcitiam aliquid elicitur, quod votis non reſpondet; quid inde eſt, aut eſſe poteſt dedecori Alchymiæ? Alchimia non manca eſt, nec fallax, ſed mancam & fallacem facimus: gladii, enſes, & ignes, ſtultis ſi credantur momento nocent; ſi ſapienti, & ſibi & aliis ſunt utilitati: Ita Alchymia prudenti & docto, plurimi eſt, & pluris quàm credi poteſt. Si ſcribendi characteres, chymicæque illæ loquendi ſartagines omnium teneris non arrideant auriculis, nobis non licet eſſe diſertis, qui Muſas colimus ſeveriores: ludibrio tamen haberi nequeunt: ſunt enim rerum myſteria, & hieroglyphica, veritatem involucris obtegunt denſis, ut mel apes tuguriolis concludunt duris. Frange nucem ſi nucleum cupis: hominum fictæ ſpecies, panniculi attriti, & laceri, & ſimiles aliæ feſtucæ contis & palis ſurſum elevatæ, & ventis agitatæ, ab avium incurſibus ſemina cuſtodiũt agricolis. Alchymia profanum odit vulgus & arcet, & illi ſimilibus metum incutit umbris; prudentibus verò & hermeticis filiis grana cuſtodit uberrima. Quibus quidem tu quoque, Amice Lector, frui poteris, modò vulgi veritatis peſſimi interpretis non ſequaris opinionem. Veritatis ſolum inquiſitioni

totus

totus indulge, & opera chymica, in illa tantum castiga trutina, tunc nec his ridebis, nec ingemines tremulos naso crispante cachinnos. Abrupta invii speciem referentia, & illa omnia abscissa, & connexa præcipitia, quæ ex opinione vulgi, in unam vastam congesseras abyssam, paulatim adaperientur, & erit tibi montis chymi lene fastigium, quod cùm arduum sit, & confragosum esse oportet, nihil enim plano aditur excelsum: omnia tamen saxa, rupesque omnes, quo potui ingenio, in gratiam tui ipsius averruncavi, & egessi, ne tibi iter facienti ad supremæ scientiæ verticem sint exitio. Gratus sit tibi quæso labor; si non satis sit ingenii, & eloquentiæ, qua tibi placeam, saltem satis est erga te amoris, quo æqui bonique consulere valeas. Vale, ad Calendas Aprilis, anni M. DC. XXIII.

Petr. Joan. Faber, *Doctor Medicus Philochymicus omnibus natus.*

AD HUIUS AUTHORIS OPERA
ET LABORES,

EPIGRAMMA.

PRIMA Amphitriten Pallas imbuis cursu,
Delecta ducens corda pubis Argivæ,
Quæ vellus aureum interverteret Colchis.
Sed quot morata portubus, ac vadis Argo?
Langere quanto, regna Phasidos postquam
Petita, Minyas lenta vota fallebant?
At nunc secundis aureum decus votis
Latura Pallas, nil moratur, aut cœli,
Salive casus. Ilicet per abrupta
Aviaque passim Virgo Diva perrumpit.
Non ulla currit Argo: nil juventutis
Opus est Pelasgæ. Quippe solus & solers
Animi expeditam Palladem FABER *promit*
Quam ne quid unquam demoretur in cursu
Præpetibus alas addidit FABER *pennis.*

Hoc appoſuit veluti benevolentiæ ſuæ firmum & ſtabile monumentum D. D. IOAN. D. Regius Conſiliarius.

ALIUD

CHymica Palladij cernens miracula FABRI
Mors timet & Medica nunc putat arte mori.
Numina sunt homines, nequeunt tolerare labores
Cùm fatum Gebrica conterat arte FABER.
Fama negat tantis cur FABRO *præmia factis?*
Digna quòd in terris præmia nulla videt,

Chymia

Chymia nota tibi dignos persolvet honores,
Sicque tuæ sortis Dædalus alter eris.

Amoris & honoris ergo apposuit IOANNIS BERTRANDVS COMPTE Tolosanæ Academiæ celeberrimus Doctor Medicus, necnon Chymicus acutissimus.

AD HUJUS OPERIS AUTHOREM, & Doctorem Medicum Monspeliensem,

EPIGRAMMA.

ALIUD

DIc tecum, Ænea, per tot maris æquora, Pallas
Romani venit pignus ad Imperij?
Dic, tibi de medijs quondam est erepta, Metelle,
Fatalis flammis Pallados effigies.
Par tibi laus, cui ab arcanis FABER *ignibus, undisque*
Exijt arcani gloria Palladij.

Hoc apposuit in perpetuum amicitiæ *μνημόσυνον* I. SCARG. Juris utriusque Doctor.

TOTIUS

TOTIUS OPERIS ARGUMENTUM.

Toto hoc volumine nihil aliud coërcetur, quam infandum illud Philosophorum antiquorum Arcanum, antiquitus celeberrimum, in præsentiarum verò apud vulgus ridiculum, quòd propter ejus meram ignorantiam impossibile credatur: hos questus non moror. Quod erat inter Ægyptios, Arabes & Hebræos veræ scientiæ patres sacrum & notissimum trigesimis Capitulis complector, & amota cortice dura totius ænigmatis in gratiam filiorum artus pando. Trina persequor arcana, animalium, vegetantium & mineralium: Sed hæc tria unum sunt, & in unum convertûntur, qui unum capiet, capiet & alterum. Hæc simul miscuimus, & turbatim scripsimus, propter eorum affinitatem, ut hinc clarissimè percipiant chymiæ alumni, quo naturæ nexu & vinculo animalia, vegetalia & mineralia, inter se convertantur, unum alteri sit alimento & medicamento: hinc in animalium arcanis tradendis, quicquid est in animalibus sacrum & occultum chymice tracto. Vndenam mors, morbi, & senectus prodeant: quo fonte scaturiat vita, qualis sit vitæ fomes, qualis sit ejus perennis fotus, quo mors, morbus, & senectus, si non pereant, saltem adeò demulceantur, ut aureis seculis vivant animalia, fotu tali circumsepta. Cur corvus, cervus, Serpens, & Elephantus perenniori durent vita cæteris animantibus: cur equus, canis, Mustelæ muscæ, papiliones, multaque alia animalia, brevissima vita vivant: Cur ipsius hominis vita præsens, præterita sit brevior, & in posterum brevior fiat: undenam tanta homi-

hominum diverſitas, moribus & ingenio: monſtra unde prodeant, & ſurgat eadem ſcaturigine formoſa hominum ſpecies. Quid eſt illud naturæ mirum, unum & idem, quod in uno ferè perpetuari, in alio verò citò extingui cupiat; in uno pulchras in alio deformes ſequatur formas: undenam ejus in ſe ipſo diverſum ſtudium, & varius amor.

In vegetantium arcanis depingendis, & monſtrandis, ſacra eorum vitæ myſteria pando, undenam eorum viriditas, & præalta eorum ſtatura; cur Vere tantùm nonnulla eorum fructus producant: æſtate alia: Autumno quamplurima, hyeme verò nonnulla. Et cur non in omni tempore promiſcuè omnia fructus ferant, non ſicuti Pinus & nonnulla vineæ ſpecies, quæ perenni fructu, flore, & germine, quocumque tempore onuſta eſt: cur foliis hyeme, quamplurima denudentur, nonnulla verò ut Laurus, Pinus, Cupreſſus, Abies viridantibus ſemper foliis, in mediis ipſis nivibus caput extollant. Quid eſt illud, quod eorum vitam ab hyemis rigore defendat, & cur cætera vegetantia ab eodem & ſimili non tueantur, in ſimiles cœli impetus. Arcana hinc pandimus; ad multiplicandas eorum omnium vegetandi, germinandi, & fructus producendi facultates, in ſingulis anni mutationibus; adeò ut ter in anno nonnulla fructus perfectè maturos producere queãt: hinc perquiritur vegetantium fertilitas & ſterilitas: morbi, langores, & ipſorum vitæ vigor notantur. Mineraliũ verò familiam, genus, & ſobolem omnibus palam faciendo, terræ totius ſupellectilem variam & magnificam commonſtro. Quid aurum, quid argentum, quid cætera metalla ſint, & quo occulto naturæ igne coquantur, & dureſcant: Quid lapides precioſos ab aliis ſeparet: quid eorum nitorem & ſplendorem, quid radios, quid eorum ignes, firmitatem & duritiem foveat, multiplicet, & producat. Hinc metalla quæ vocantur imperfecta, cruda & incocta, lapideſque communes & vitrum, quo occulto naturæ genio perfici queant perducetur. Hinc lapidem Phyſicum

sicum seu tincturam Philosophorum, & Elixir Arabicum certum esse, & non fabulosum rationibus quàm multis experientia comprobatis veritatis penicillo depingitur. Quid valeant chymicorum humeri, & quid ferre recusent, omnibus palàm est in tradendis scientiarum naturalium arcanis. Magia naturalis perquiritur, pseudomagiæ præstigiæ damnantur: hinc quid cœlum, quid stellæ, quid Planetæ, & astrorum omnium cœlique influxus prosint hominibus & scientiis: qualis eorum omnium sit materia & essentia, qualisque sit harmonia inter superiora & inferiora, mirabilium omnium effectrix, oculari experimento præmonstratur. Meteora omnia, nix, pluvia, grando, tonitru, ventus, fulmen, Ros, & pruina indagantur, quæque sagaci mentis & manuum industria arte mira excitari possint facili eloquio ediscitur. Vndenam fontes, flumina, Aquarumque scaturigines omnes prodeant, quidque mirabiles & occultos æquoris æstus faciat, foveat, augeat, & deprimat. Nihil tandem sub luna concavo reperitur mirabile & cognitu dignum sive igne, aëre, aqua, & mediis terræ visceribus procreetur, cujus causas Anatomica chymia non investigemus, illibata semper Eudoxorum omnium authorum conservata doctrina: Heroicum sanè onus, & conatus forsan Phaëtonteus & Icarius, ni Lectorum benevolentia imbecillitas ingenii mei sublevetur. Si ad scopum perfectissimè non attigerim & collimarim, sufficit mihi, in magnis voluisse sat est.

CAP. I.

De nominis Alchymiæ etymologia, definitione, ac etiam illius inventione.

Alchymia quid. ALCHYMIA quam alii Spagyricã artem aptiùs dixere, nihil aliud est quàm puri ab impuro separa-

paratio, quod facilè hæc vocabula præmonstrant: σπαῶ enim nihil aliud est quàm separo & evello: hæc enim ars dum rerum omnium Physicarum anatomen tractat, & ostendit, quicquid est mali succi, à bono, intemperati à temperato, & contra naturam à naturali abstrahit & evellit. Alchymia verò nomen antiquius multò, suo cortice & Etymologia, symbolum hujusce separationis etiam præ se fert, sive enim ἀπὸ τοῦ ἅλ⊙, καὶ χυμοῦ derivemus, quod est salis succus, & condimentum, tali nempe succo ritè præparato constat secretum totius Alchymiæ; salis puta Physici & mineralis non communis & vulgaris. Sive dicamus Alchammiæ, quasi Sal Ægypti, vel Sal Chami: Ægyptus enim Chammia dicta est à Chamo rege, ut est in sacris litteris, quòd Chamus hujus artis peritissimus, hujus Salis inventor, & author fuerit, Ægyptiisq; ut ingenio potentissimis tradidit, hincque artium eos omnium inventores, scientiarumque omnium scrinia vocat Aristoteles. Hac arte potentiores tum armis tum ingenio facti, præ divitiis adeò in viros inexpugnabiles, Romanorum etiam copiis evaserunt, ut quos Diocletianus circa annum Christi 294. bello, fame, siti & igne vinci non potuerat, pace tandem ingenii sui stratagemate debellarit; libros omnes artis Alchymiæ, & artifices quos inter Ægyptios invenit igni tradédo, ut bellorum nervos omnes à tali populo subtraheret: exhaustis, quinimo extinctis protinus inexhaustis auri & argenti Ægyptiorum mineris & focis. Sive dicamus. Euchymiam loco Alchymiæ, quasi boni succi elaborationem quæ elaboratio per separationem puri ab impuro propriè & aptè intelligitur: ut enim in ventriculo cæterisque vasis coctioni dicatis, Euchymia & Cacochymia fit secundum debitos & indebitos coctionis gradus. Sic in operationibus Chymicis, in vascu-

Spagyria unde dicta.

Alchymia unde dicta.

Alchymiæ quis inventor.

Ps. 77. v. 51.

Alia Alchymiæ Etymologia.

vasculis ad eas comparatis, secundum eandem coctionem rectam & perversam, puri ab impuri fit separatio, quam Euchymiam & Cacochymiam dicere possumus. Unde non sunt alii hujusce artis primarii authores & inventores, quàm ipsamet natura; quicquid alii dicant authores: Fuit quidem inter Hebræos Chamus, inter Ægyptios & Chaldæos Mizraimus Chami filius, & Hermes Trismegistus, Thebit & Haly. Inter Arabes Geber; Avicenna, Mesue, & Albohaly Avicennæ filius. Inter Græcos Democritus, Jason, & Argonautæ omnes, inter Romanos Morienus, inter Gallos Dionysius Zacharius, & Nicolaus Flamellus Parisiensis; inter Hispanos Lullius; inter Anglos Rogerius Bacchon. Inter Germanos Wilhelmus Hohonhemius Paracelsi pater, & alii multi infiniti; inter easdem diversasque populorum nationes, totiusque terræ plagas, quorum nomina abolevit antiquitas, primi fuerunt, qui hanc separationem, ut naturæ innatam & primigeniam cognoverunt, cognitamque arte perfecerunt, primasq; obtinuerunt in disquirendis hac prædicta separatione naturæ arcanis: Referandis, hac prædicta separatione naturæ cujuscumque facultatibus, quæ sæpissimè ob materiæ elementaris crassitiem sopitæ manent, nec unquam in actum reduci possunt. Inter quas recenseri debent, quæ insunt mineralibus quibusdam, metallis omnibus, lapidibusque pretiosis, & aliis multis, quorum proprietates & energias, apertè manifestari posse minimè crediderim, quin eorum materia attenuetur. Alchymia verò eorum omnium materiam digerendo diversis suis præparationibus lævigat & attenuat. Sicque facultates faciliùs in lucem sese produnt: quò enim puriori subtiliorique materiæ sinu, forma includitur, eò faciliùs agit, & poten-

Hermes floruit anno mundi 2434.

Democritus floruit anno mundi 3537.

Expeditio Argonautica anno 2714.

Forma quo in subjecto facilius agat.

potentius, ut videre eſt in corpore humano, intrinſecus quò puriùs nutritur, eò melius anima ſuis fruitur actionibus: modò nutrix facultas (totius corporis verus Alchymiſta) attrahat alimentum, attractum retineat, retentum coquat & aſſimilet, deinde ultimò expellat fæcem & amurcam alimenti, παντα καλῶς fient κ̀ εὐφόρως ſin minùs κακῶς. Homogenea enim heterogeneis, indigeſta confuſè mixta manebunt, languente, marceſcente, & tandem moriente corpore, partibus homogeneo alimento privatis, eo namque ſolo, puro putoque nutriuntur: itaque ſi heterogenea non ſeparentur (quæ maxima ſunt, imò majora maximis, ut excreta quotidiana teſtantur, nam ſumptis præponderant) ut inevitabilis excrementorum proventus, ex quotidiano victu, ita etiam morborum omnium inexhauſti prodibunt fontes, naſcentesque moriemur finisque pendebit ab origine, niſi etiam ab origine, & à primo generationis ortu, imo & principio, & in ipſo utero, natura Spagyricam exerceat artem, vaſorum ſuorum, ignisque perennis ſui facultate & robore: anadoſi per venas, arteriasque tanquam per tubos, & aquæductus partibus ſingulis totius corporis diſperſa, diſtributaque, quæ peculiare Propriumque alimentum eo tempore ſugunt, reliquumque ſecernunt. Maſſa enim ſanguinis, ut neque tota alimentis, ita etiam quod hinc ineſt alimenti, ſingulis & omnibus convenit partibus; ex quolibet ligno non fit Mercurius, neque etiam ex quolibet alimento partes omnes & ſingulæ & nutriuntur & confirmantur. Pulmones ſiquidem ex tenuiori, oſſa ex craſſiori, cerebrū ex aquaſiori materia ſi generentur, ſic etiam nutrientur: iisdem enim nutrimur quibus conſtamus, quod omne Alchymia fieri neceſſe eſt, attracticis, reten-

Fernelius in Phyſiog. Manilius 4.aj.1.

Alimentū quacumque ſit, non ex toto alimentū eſt.

Pulmones oſſa & cerebru ex qua materia fiant.

Similitudo Alchy-

mia, & naturæ in ratione alimenti.

tricis, coctricis, assimilatricis & ultimò expultricis facultatis ope & auxilio, quæ omnes naturæ altricis facultates in omnibus etiam modò veris, non sophisticis Alchymiæ operibus clarissimè nitent: coquuntur enim arcana chymica, & inter coquendum, attrahitur homogeneum, attractum retinetur, retentum melius fortiusque coquitur, coctum assimilatur, & ab assimilato segregantur omnia heterogenea operationibus chymicis: quæ quamvis varia sortiantur nomina: tamen omnes coctionis nomine insigniri possunt: ut in homine chylosis ventriculo: hæmatosis hepati; Anadosis singulis deinde partibus ingenita operatio, nihil aliud sunt, quàm coctiones, & alimenti purificationes: sic calcinatio, solutio, putrefactio, distillatio, & sublimatio, unio & coagulatio, nihil aliud sunt, quàm puri ab impuro separationes, quæ sola coctione peraguntur, & in optatum tandem finem perducuntur. Zoile tu quisquis sis, qui more canum luporúmque in chymicos allatras & ululas, chymicum te esse nescis, etiam invitum: nisi enim natura tua indefinenti foco, res tuas, ut vidisti spagyricè tractaret, qualis tu quæso? totus morbus & mors ipsa, & tamen inscitè chymiam artem naturalem, à naturaque inventam, naso repando suspendis, chymicos fumivendulos, ciniflones, carbonarios, falsarios, circumforaneos, ardeliones, & quod pejus est Pseudomedicos & Empeiricos agyrtas passim dictitas. Cave in posterum ne teipsum inscium injuriis afficias, ne postquam rem intellexeris palinodiam canas, non est prudentis dicere non putaram: de re incognita, non potest ferri judicium, nisi perversum, ideoque apud antiquos fuit, jamque apud modernos est, & apud futuros Physices professores erit digni-

Coctiones alimenti varia sortiuntur nomina: tamen omnes coctiones sunt.

Omne animal natura sua Alchymista est.

tas chymicæ artis, convitiis omnibus nebulonum quorundam, rosarum instar, balsama inter spinas roratura: his tamen lætare quæso Alchymia, tanquam invidiæ summæ symbolis, certisque argumentis. Magna quæque solum humanæ subjacent invidiæ, horum splendor laus & honor, humanam nequitiam acerbè offendit & angit, quæ verò maligna nefariaque Rhamnusidis ira depressit, his tandem contemptim miserescit: non hæc ergo cura, fave tantum auspiciis nostris: tibique lucem & splendorem operibus tuis & dabimus, seu potius umbram luminis tui fugabimus, obmutescente tandem (experientia ipsa) cavillatore, apud quem *πόνος τῆς ἀρετῆς μ χνιν κρίνεται.* Cujus judicii spreta lance, septenis operationibus, tanquam circulis, mundique sphæris, arcana totius naturæ complectemur, calcinatione, putrefactione, solutione, distillatione, sublimatione, conjunctione, & fixatione, de quibus omnibus universaliter, & particulariter, capitulis inter se distinctis fari dignum putavimus, ut veri naturæ mundique interpretes passim simus, potiùs quàm videamur, multis ignota, inaudita, rara, mirandaq; proferre, nihil nobis ostentatione pejus.

Honor & gloria inv dia morsibus semper subjacent.

Labor virtutu mania judicatur. Hypocrates in epistolis.

De quibus chymicis operationib. loquendũ sit in hoc opusculo.

CAP. II.

De Calcinatione in communi quid sit, & propter quid sit.

CAlcinatio totius Spagyricæ artis thesaurus, ac vera clavis, tantæ est necessitatis ut qui hujus secreta, non calluerit, totius etiam artis utilitates & emolumenta, non perceperit, omnia nempe quę firmissimo durissimoque repagulo, obvallantur,

refera-

reſerari (ut in lucem tandem prodeant) minimè absque ea poſſunt, principium veræ Phyſicæque ſeparationis puri ab impuro ignoratur, & occultatur (homogeneorum ab heterogeneis ſeparatione absque ea impoſſibili) Quid tandem ulterius? Calcinatio totius Spagyricæ artis principium, & fundamentum, ignoto principio maleque jactis fundamentis, ignorantur omnia, corruentque funditus ædificia: Ideò ut omnibus innoteſcat Calcinatio, clarè & apertè definiemus cujuscumque rei in cinerem converſio, ab igne ſive potentiali, ſive actuali. Quod nomen ipſum, ſatis apertè indicat, commonſtratque: Calcinatio ſiquidem nihil aliud ſonat, quàm reductionem in calcem: Calx autem cinis eſt, cinis nihil aliud eſt, quàm corpus, circa quod ignis totaliter egit, nihilque ſupereſt comburendum aliud uſtioni aptum. Supereſt tamen aliquid in ipſis cineribus, mirabile terreæ ſubſtantiæ, & igneæ. Terrea ſubſtantia fortiſſimo igne abit in vitrum, ſeparatione facta igneæ illius ſubſtantiæ ſibi coëtaneæ, eaque tunc infertilis omnino redditur, & generationi impotens, igneam vero ſubſtantiam ſeparatam etiam, (ut metallum) liquabilem, verum generationis fundamentum facile credunt, qui Æream ſubſtantiam, calcinatione evaneſcentem, olei ſeu aqueæ ſubſtantiæ propemodum, cum hac ipſa ſubſtantia ignea, expulſis heterogeneis omnibus figere norunt, velut auri argentique fixionem, igne qualicumque permanentem. Quod inferius pluribus verbis, Chymicis omnibus chymicè monſtrabitur Capite nono, ubi de ſublimatione in communi agetur. Calcinatio niſi ad vitrum uſque tendat, non extinguit virtutem illam generativam, & productricem, in centro cujuſcunque mixti occultam, modò ſal in cineribus ipſorum permaneat illæ-

Calcinatio quid.

Calx & cinis quid.

In cinerib. quid occulti lateat.

Virtus generat. va qua ratione non extinguatur ab igne.

illæsum, cum homogeneis suis & similibus omnibus substantiis, quæ assiduè producendi, & generandi potentiam & propensionem habent, secundum applicationem agentium externorum, mox cœlestibus viribus fœcundata, prægnans ex se ipsa producet plantas, metallorum scintillulas, producet vermiculos, animalia alia imperfecta: producet & lapillos, lucidosque mineralium flosculos virtute spiritus invisibilis ac quasi vitalis, corpore salis inclusi, & coarctati, qui ignis est ille cœlestis, terræ mundoque toti immissus, ad omnium mirabilium operationem, omnibus lucidus, simul & occultus incognitusque Promethei raptus, sola & unica totius naturæ custodia: ipso enim pereunte, peribit & tota natura, secundum generationes & corruptiones. Unde verissimum est, quod ajunt chymici, lapidem philosophorum ubique reperiri, & neminem sine eo vivere posse, quòd ipse ignis præcipua pars sit ipsius lapidis, imò arte summa lapis ipse fieri debet, lapide ipso, qui quidem lapis à natura ipsa incœptus, copiosè in sinu suo, ventreque portat ignem illum, creatorem tamen ipsiusmet matris, & antiquiorem multis sæculis. Nam ipsa mater primitus producitur, ab spiritu illo invisibili, qui terræ minerali simplici insinuatus, corpus terræ ipsius suscipit, & induit, ab eaque arte distillationis separatur in speciem fumi albi, qui pedetentim à terra sua separatus, vase receptorio vitreo firmiter clausus, intraque poros aquæ detentus abit in aquam ponderosam, vel potius in ipsis aquæ poris quiescit, nullo agente in ipsum calore externo, donec iterum in terram suam mũdam incidat, ibique fixetur coquendi continuitate, terramq; suam abundanti suo affluxu, nobilitet, & in astralem mutet substantiam: sic ut jam apertè videtur, ipse spiri-

Lapis Philosophorũ qua ratione ubique reperiatur.

Spiritus mũdi qua ratione fiat aqua.

ſpiritus producit terram ipſam, in qua ipſe ſuas inchoat operationes minerales, & chymici terram ipſam accipientes, ex ea eliciunt ſpiritum illum, ſicque ex terra ipſa producunt illum; & verum eſt nec contradictorium, iſtud chymicum axioma: mater me genuit & ego genui matrem antiquior matre ipſa, etiam ſi filius. Quia verè nunquam terra ipſa producit ſpiritum illum, ſed è contra. Ipſe enim creatus eſt à Deo ſolo, & deinde ipſe producit ex ſe ipſo, virtute ſibi deſuper indita, cum elementis omnia, cum tamen vi ignis noſtri elementaris vaſibus ad hoc aptis, in lucem educitur, productio quædam metaphoricè dici poteſt, eductio potius quàm generatio. Facetè admodum Sendivogius novi luminis chymici author, chymiculos quosdam veræ artis ignaros, illudit, dum Mercurium vulgarem ſeniorem matre lapide philoſophorum aſſerit, debiliorem intelligit, non antiquiorem: nã certiſſimè debilior eſt, totiſmet ipſis viribus matre ipſe ſua, quæ eſt fortitudo ipſa, totiusque fortitudinis fortiſſima virtus; ſi quid eſt enim virtutis & energiæ in aliis, ab ipſa dependet, quò plus eſt lapidis, eò plus virtutis. Vnde omnia mixta ſeniora quidem ſunt, puta debiliora matre ipſa, ſpiritu nempe illo vivifico, qui antequam lapis fiat, lapidis nomine, etiam non inconcinnè donari poteſt, cum terra ipſa mineralis ſpiritu illo imprægnata, lapidis ſpeciem præ ſe ferat. Lapis etiam ipſe dum coquitur (nam natura ſua incoctus eſt & crudus valde) ſpiritu ſuo magis ac magis fœcundatur, juniorque fit, fortior putà & ita junior, ut reliqua omnia, reſpectu illius ſeniora ſint (juventute ex ipſius copia, ſenectute ex penuria ipſius ſpiritus naſcente) In principio ortus cujuscunque mixti natura ſpontanea virtute, abundè ſpiritum illum in partes mixti,

Mercurius vulgaris qua ratione ſit ſenior Mercurio philoſophorum.

tan-

tanquam in carcerem compingit, ut unà ipſis partibus connectet, quamdiuque durat illius nexus, tamdiu & eſſe illius mixti permanet: quia tamen nexus ille, in quibusdam fortiſſimus eſt, in aliis leviſſimus; in his etiam ævum longius & durabilius, in aliis autem brevius eſſe debet: perennitas enim ex fortitudine compaginis illius ſpiritus dependet; metalla omnia, lapideſque omnes ideo perennes, animalia verò, & viventia cuncta fluxa fugaciaque ſunt, quia in humido volatili ligatum habent illum ſpiritum, ideoque nexus leviſſimus, corruptionique obnoxius, propter humiditatem, cujus ope, caloriſque interni ipſius ſpiritus, & externi, illum internum ſæpe ſæpius ſuſcitantis actione, corruptio advenit mixtis omnibus, donec humiditas illa ſuperflua evaneſcat, ſpirituſque iterum uniatur, cum partibus producatque novam formam, ex ſinu materiæ, novumque mixtum, cujus nexus tamdiu durat, quamdiu humiditati extraneæ reſiſtere poteſt, quæ ſuperveniens totum mixtum diſſoluit, iterum, & corrumpit, & rurſus nova incipit generatio, ut prius, donec iterum calor internus, ignis cœleſtis ſeu ſpiritus, conſumat illam humiditatem, abſumptaque uniatur partibus ſubjacentibus, & fiat unum cum illis, ſicque in perpetuum fit generatio, & corruptio rerum omnium. Hinc apertè docetur veritas axiomatis Phyſici corruptio unius eſt generatio alterius, & vice verſa. Corruptio autem hæc advenit mixtis ut colligere eſt ex dictis, penuria illius ſpiritus: ſpiritus autem cum forti nexu non uniatur partibus mixti evaneſcit pedetentim, & creſcit humiditas ſuperflua, unde ſenectus, & tandem mors ipſa in viventibus: Senectus enim eſt diminutio illius ſpiritus cœleſtis quo vivimus: juventus

Perennitas vitæ unde.

Generatio & corruptio quo pacto fiat.

Senectus & juventus quid ſit.

verò eſt copia ipſa ipſiusmet ſpiritus. Qui ergo arte ſpiritum illum, in principio copioſum, nexu forti, in mixto retinere poteſt, fortius durabiliusque mixtum illud, in ætatem longiorem, & tempus conſervabit. Natura in omnibus id tentat, at debilis eſt in quibusdam, tum ratione loci, in quo fit generatio, & agentium externorum, tum excrementorum extraneorum, nimio affluxu, quo ſe expedire ſæpe ſæpius nequit, & horum omnium etiam ratione, aut quorundam ipſorum monſtra parit, & fruſtratur ſuo ſcopo: ſic metalla imperfecta generantur, ſic lapides ignobiles, ſic inſecta, ſic animalcula varia, ex ſemine ſpecifico, principium ortumque nō habentia, quæ omnia principio ſui motus, ad aliquid aliud nobilius tendebant, natura ſemper id ſpontaneo velle moliente, quod nobis omnibus imò & Angelis, & dæmonibus ignotum eſt, ſoli Deo id apertum: cum ipſius naturæ velle, ab ipſius voluntate ſuprema dependeat, & idem ſit; hoc autem ſoli ipſi cognitum eſt, cū reliqua omnia, præter ipſum ſolum captus tanti capacia minimè ſint. Quis homo, quis Dæmon, quisve Angelus ſcire poteſt & perfectè abſolutèque dicere, ex hac materia, ex hoc ſemine hoc & tale producetur: cum illud ipſum ſemen, in principio ſui motus, & in medio, & juxta finem, poſſit aliter diſponi, corrumpi, & in aliud degenerare, ſolus Deus qui intrinſecus velle naturæ regit, hæc dicere poteſt, alii verò ex Deo tantum (ſi quid tale abſolutè pronuncient) per revelationem ſciunt, & cognoſcunt. Natura ergo ex ſe ipſa primigenio ſuo ad perennitatem quandam tendit, tanquam quid perfectum, cum tamen non poſſit in uno eodemque mixto, per generationes, & corruptiones tandem in eodem ipſo mixto actas, aliquo modo pervenit, interim fruſtratur

Qua ratione metalla imperfecta & monſtra naturæ fiant.

Naturæ velle ex Deo eſt.

Naturæ finem ultimum Deus ſolus cognoſcit.

Natura ſponte ſua ad perennitatem tendit.

tur agentium externorum, locique & temporis dispositione. Unde frumentum mutatur in lollium, caro tauri in apes, anatis in ranas & bufones, Eruca transit in papilionem, Sisymbrium in mentham hortensem, accipiter in Upupam, & Upupa in accipitrem, in quibus omnibus & similibus corporibus natura suo fraudatur intento: nam similia producere tendit ex determinato & specifico semine, in similibus corporibus adhuc restitante: at agentia externa, aliter illud disponunt, sic etiam aliud generant, extra naturæ ipsius voluntatem. Si verò agentia externa, quò natura tendit, vergant, similia semper ex similibus producunt, ut singulis annis, singulis mensibus, diebus, horis, & momentis cernere licet, in hac universa totius cœli matrice. Ranæ quotannis in limum resolvuntur, & rursus ex illo met aliæ renascuntur: muscæ pereunt, moriunturque hyemis tempore; veris verò adventante calore iterum aliæ suscitantur; imò oculis cernere licet quoquo tempore si muscarum corpora cineribus cooperiantur brevi tempore vivificari denuò, & abire in aërem rursus victum quiritantes. In cineribus ergo latet fomes vitæ muscarum, imò & reliquorum animalium, simili vita viventium: quin etiam plantarum arborumque omnium; his siquidem vegetiùs pullulant & germinant, quàm fimo quovis: quia in cineribus plus est fixi vitæ spiritus, quàm in aliis omnibus: fixi, inquam: quia volatilis per aërem sparsus non confert ad vitam, nisi figatur, figitur autem cum à fixo trahitur vi magnetica, & unà cum eo fixatur, sicque esse in mixtis perpetuat: homo reliquaque animalia continuo pulmonum motu, & suctu, aërem trahunt, spiritumque illum aëri immissum eliciunt sanguiniq; miscent, ad majorem fixionem, donec tandem co-

Varia natura mixta quo pacto inter se permutentur.

In cineribus latet fomes vitæ.

Ad stercorandū terras nihil cinere melius.

ctione continua, fixio perfecta & ad vitam idonea adimpleatur, adimpletur autem dum ultimum alimentum in partes transit, sicque indesinenti motu, improboque labore natura ipsa res nostras spagyricè tractat, ut spiritum illum vitę fomitem, tum ex alimentis, tum ex ipso aëre elicere, partibusque vincire possit, separatis interim (ut prius etiam dixi) omnibus quæ non sunt ex substantia ipsius spiritus, ut eo vinculo, & nexu perennitatem quandam sibi ascifcat, quem nexum fortiorem semper natura ipsa sibi vendicat, modo ab excrementis vindicetur omnibus; aut saltem majoribus: id in auro clarum est argento, lapidibusque pretiosis, qui omnes durabiliores sint plumbo, ferro, cupro, stanno, silicibus, crystallis, aliisque terreis concretionibus multis excrementis scatentibus corruptionem inducentibus, quæ humidum illud calidum impediunt, ne frigido sicco terræ perfectè & purè uniatur. Arbores omnes, cedri, pini, lauri, cupressi, aliæque multæ ejusmodi quæ nunquam viriditate denudantur edurant cæteris omnibus, quòd spiritum illum terreum fortissimum habeant, & ita fortissimum, ut frigore nunquam ullo condensari possit, ideò folia earum nunquam decidunt hyemis tempore: pori enim corporis earum manent semper aperti, caliditate summa illius spiritus, ita ut beneficio illius trahant semper tantum alimenti, quantum ad vitam sustentandam foliorumque suorum viriditatem & vigorem conservandum etiam in hyeme sufficit. Aliæ verò arbores, non ita sufficiens tempore hyemis è terra sugunt alimentum, quin earum partes multæ, vita priventur, & à trunco decidant, quod & pori terræ, & arborum similium, frigore condensentur, ita alimenti impediatur aditus, & sic multæ senescunt citiùs, aliæ-

Cedri & pini & aliæ si[mi]les arbores cur cæteris edurent, & cur foliis hyeme non priventur.

Hyeme cur arboribus decidant folia.

aliæque citiùs omnino moriuntur Vere autem adventante calore terrei solis, & cœlestis aperiuntur, tum terræ, tum arborum omnium pori, sic iterum juvenescunt, pullulant & germinant, pariuntque fructus: quod hyeme alimenti penuria perdunt, vere ejusdem copia & affluxu recuperant, & ita duplici ratione animalibus omnibus longiori edurant ævo: Prima quòd nexum illum vitæ fortiorem habeant majoribus excrementis conspurcatum: Secunda quòd singulis annis copia illius spiritus quasi vitalis renov. ntur, quodque animalia per generationem in aliis subjectis externis filiis puta obtinent, arbores in se ipsis surculis de novo productis acquirunt. Inter homines melancholici longiùs vivunt, deinde sanguinei, sanguineos biliosi sequuntur, minus verò omnium pituitosi: unde pedestria omnia terræ animalia, aquaticis omnibus ævo sunt longiori, homines Meridionales Septentrionalibus: ratio ex dictis elici potest, ex nexu puta illius spiritus forti, & ab excrementis libero, fortitudo autem illius nexus ex fixione, fixio autem in sicco fortior, quàm in humido est: hinc arcana vitam perpetuandi, longiusculeque producendi elicere debent, qui vitam hanc summum quasi existimant bonum, nihilque aliud quàm vivere ditescereque in votis habent; superiora enim dictã, ad hæc omnia via certa & infallibili quà humanitùs fieri potest, tendunt. Ideò enim hujus spiritus ortus est sermo, ut quid in calcinatione considerandum sit, percipiant. Non enim extra rem sermo prædictus: fixus quidem spiritus ad vitam & divitias confert, habes autem illum in calcinatis & perfectè coctis puris putis, sed ex his etiam educendum est purum putum. & in fixo volatiliq; jungendum, ut invicem juncti coagulentur, & astrale

Melancholici cur longiùs vivant.

Fixus vitæ spiritus ad quid conferat.

astrale pariant mixtum in agendis potentissimum: in calcinatis crede mihi latet illud purum punctū qua ternarii, hoc est sperma elementorum perfectè digestum, quod generationis, & renovationis vera est medicina. Illud tamen est fixum & coagulatum, & nisi simili spiritu volatili & soluto dissolvatur, nullius fere est usus, quia in actum reduci non potest, nisi firmitas compaginis suæ rumpatur, ab spiritu volatili in aquam reducta simili & homogeneo. Calcinamus autem mixta in genere, ut quicquid est volatile, & infixum, à fixo separetur, volatile illud conservamus & purificamus, fixum itidem, eàque simul pura & attenuata conjungimus; ut fixum soluto dissolvatur, solutumque fixo coaguletur, & figatur, sicque facultatem acquirat agendi potentiorem, aucta mole ipsius spiritus, qui agendi sola est facultas, & virtus. Id idem experientia tentare poterit zoilus quivis, si ex calcinato aliquo mixto vegetanti, salem extrahat purum putum ab omni terrea fœculentia defæcatum lotionibus filtrationibus, & evaporationibus idoneis, donec in igne levissimo, velut cera liquescat, habet enim peculiare istud sal omne, ut ad extremam & absolutam purificationem cōductum, facilè fluat, quod dum evenerit terræ mandatur, sub dio, aliorum seminum instar, statim convocato spiritu mundi, in aëre residente & terra & aquis ad generationem rerum omnium statim putrescit & germinat, simileque mixtum parit, ex quo Sal ille terræ mandatus extractus est. Mirum certè & quasi incredibile, sed quod vidimus & fecimus, facile testari possumus. Quod & ultra ratione summa pervestigavimus, eique tandem experientia ipsa consonum reperimus. Hinc in phialis vitreis possunt flores, possunt plantæ plantari & nutriri, crescere & ger-

Punctum quaternarii quid.

Calcinatio cur fiat.

Ex calcinatis qua ratione vis generativa extrahi possit.

Flores qua ratione in phialis cōservari possit.

& germinare, possunt & arbores & plantæ è longinquis terræ plagis impunè & incorruptè deportari, possunt & quater in anno germinare, florere, ferreque fructus, modò ne frigus ambientis aëris externum pepasmum fructus impediat, & retardet, possunt semimortuæ resuscitari seu potius renovari, & restaurari. Potest & vinum calore frigore motu nimio, vasisque sui corruptela, & vitio in vappam degeneratum si è tartaro suo Sal ut dixi purus putus ut cera fluens, eliciatur, spirituique suo indissolubili vinculo purissimè connectetur; granum unum hujus deinde Salis maximam vappæ quantitatem, imò maxima majorem dolii prægrandis puta, in vinum optimum, transformabit, reducetque. Similiter omnia mixta secundum species suas possunt pari modo restaurari & morbis omnibus liberari: sperma enim elemētorum determinatum & specificatum purificatum & astrale redditum assolet hæc omnia patrare, in suis ejusdē speciei individuis, conservatione & restauratione in ipso solo naturaliter collocata, hæc autem arcana omnia calcinatione sola pervestigari possunt, quod puri puncti quaternarii pura substantia, ea sola haberi possit, habita hæc substantia quinta pura perfecta digesta, unita partibus suis homogeneis & coagulata, præsto aderit natura ad mira & incredibilia patranda, modo ut dixi calido vapore sibi simili & homogeneo, illam substantiam dissolvas, dissolutamque coquas & coquendo perfectè unias & congeles & fixes, quod in sequentibus capitibus clarius ostendetur.

Vinū corruptū qua ratione restaurari possit.

Sperma elementorum qua ratione in astralem cōvertatur substantiam.

CAP. III.

De Calcinatione vegetantium particulari.

QUatenus omnia quæ sub lunæ concavo, cœlique claustro continentur, vegetalia, animalia & mi-

Omnia trino numero complicā-

tur vegetalia, animali & mineralia.

& mineralia sunt; eatenus capitulum istud tripartitum in lucem dabimus, quod sperma elementorum, quod in vegetabilibus animalibus & mineralibus occultatur, alia diversaque eliciatur methodo: quod enim animalium partibus solidis inest calidi innati, & spiritus nostri, majorẽ postulat ignitionem ut extrahatur, quam illud quod inest eorundem partibus fluidis, & pari modo intelligendum est de mineralibus quæ postulant præ cæteris majorem ignitionem ad extrahendum spiritum illum nostrum pretiosum & terram illius depurandam. Notãdum hinc est antequam de calcinatione particulari mixtorum omniũ dicamus, calcinationem hanc quã præsenti capitulo cæterisq; duobus subsequentibus tractabimus, non esse reductioné in calcem tantùm, sed etiam spiritus nostri (quem diximus volatilem & infixum) separationem à fixo, & permanenti spiritu eodem, qui in cineribus reperitur, fixeque permanet in ipsis, qui ab omni fœculentia terrea, lotionibus & evaporationibus idoneis vindicatus, à volatili puro puto, ab omni humiditate extranea segregato sibi conjũcto & annexo, in verum actum & quidé potentissimum reducitur. Unde calcinatio vera est volatilis spiritus purificati, cùm fixo & permanenti eodem spiritu, etiã purificato, firma coagulatio & fixio. Hæc est illa calcinatio totius artis thesaurus, qua mira præstant in natura chymici veri, celebrantur autem suaviter, & magno cum ingenio, cum vegetantia recentia, succo alimentitio plena, contunduntur, & in vasis vitreis, phialis, matratiis, cucurbitis, & reliquis ejusmodi ritè obturatis proprio succo, tanquam menstruo madefacta conduntur, calorique debili, eique humido commendatur; ut tandem putrescant: ex putrefacto, seu potius digesto, extrahitur

Quid in hoc capitulo per calcinationẽ intelligatur.

Calcinatio vera qua ratione celebretur.

tur ſuaviſſimè ſpiritus aëreus & igneus, ſic dictus, ob ſubſtantiæ tenuitatem; ignemque concipiendi promptitudinem: flammeſcit enim ut aqua ardens, deinde fortiori igne aqueus humor, nullius valoris, & uſus rejiciendus prorſus ſcandit. Ultimo fortiſſimo pellitur igne oleum quoddam, quod rectificandum eſt, & ſummopere purificandum. Terra tandem ſuperſtes examinanda eſt omni ſpiritu, igneque adeò fortiſſimo, ab omnibus ſuis excrementis ſegreganda, ut tandem, his depoſitis, puriſſima emergat, velociſſimè ut cera fluens; hinc ſpiritus ille aëreus, igneus, igneusque terreus, certo pondere & quantitate modo puri ſint ambo, conjungendi ſunt terræ ipſi, puræ & pretioſæ, donec terra fiant duo illi ſpiritus, coctione lenta & continua, terra iterum ad majorem virtutem, & efficaciam diſſolvenda illis ipſis ſpiritibus, & rurſus coagulanda, ut illi ſpiritus terra fiant igne perſeverans: eſt autem illa terra ſemper ut cera fluens, leviſſimo igne, & frigore congelatur, cujus virtus & energia ſemper creſcit modò his ſpiritibus diſſolvatur, & rurſus congeletur, nam virtus tantùm in congelatione perficitur, quod ſpiritus actionibus omniũ & energiarum fundamenta & principia, dum fixantur, habent permanentiam in agendo, & nunquam evolant dum agunt, quod ſi id fiat, ceſſat ſtatim omnis actio: actio enim præſentium eſt, & non abſentium. Hæc eſt illa via vera verior veriſſima, minimi diſpendii, ſubtiliſſima, laboriſque ſummi, qua Philoſophi chymici, res omnes calcinant, calcinando ad aſtralem virtutem hoc eſt, ad actionem miram & ſummam deducunt. Et hanc calcinationem ex dictis duplicem eſſe colligere licet, dum enim terra prorſus ſpiritibus ſuis volatilibus denudatur, & interim à fæcibus omnibus elementati-

Vera methodus conficiendi lapidis Physici.

Quare congelati ſpiritus tantù habeant virtutem.

taribus expurgatur, calcinari dicitur, dum etiam ſpiritibus ſuis volatilibus, & fixis aſſumptis, ſoluta congelatur & aſſatur, iterum calcinationem pati veriſſimile eſt. At hæc poſtrema calcinatio præcedenti potentior ἐνεργητικῶς eſt, cum in ea ſpiritus omnes figantur, in alia verò evolent & ſeparentur, unde terra poſtrema calcinatione vitam, prima verò mortem ſuſcipit: hæc eadem calcinatio violenter celebrari poteſt, at prudentiſſimum poſtulat artificem & oculatiſſimum: vegetantia ſiquidem recentia, ſucculenta, contuſa, putrefactione nulla præfata & anteacta, in vitream retortam, luto forti munitam induntur, fortiſſimoque igni commendantur, ut eorum totus liquor, cum ſpiritibus cunctis, in recipientia vaſa, juncturis firmiter clauſis, transferatur, terrea ſubſtantia in fundo retortæ, in calcem ſeu cinerem reducta, ex quo cinere eliciendus eſt Sal ille fluens, & levi igne velut cera liqueſcens, & conjungendus cum ſpiritibus ſuis volatilibus, ex toto liquore arte ſumma, & acuta induſtria educendis, terraq; illa pura, ut ſuperiùs fixandis, alioquin nullius ferè ſunt uſus, ad reparationem puta, & reſtaurationem vegetantium, ex quibus educuntur, ad hanc enim ſola egent calcinatione: calcinari autem non poſſunt, quin figantur, unde tota eorum perfectio, fixio & congelatio eſt perfecta, quæ etiam calcinatio dicitur: has duas calcinationes, & ultimam præcipuè, utpote violentiorem arguet Phyſiculus zoilus in hæc verba prorũpens, Calcinationes has, verè quidem principia ſeparationis puri ab impuro vocari, at non ſecundũ intentionem noſtram, & chymicorum omnium, ſeu optatum, cum purum velimus remanere, impurum autem evaporare: at contrà in his omnibus accidit, purum evaporat, anima puta, & forma mixti, rema-

Calcinatio qua ratione violenter fieri poſsit.

Objectio in calcinationem.

remanet impurum terreum nempe quodque ſpiſſum eſt,& craſſum, ex primaria elementorũ in mixto unione,quod ſolum uſtionem pati poteſt. Unde calcinatio noſtra,non erit adhibenda in puri ab impuro ſeparatione, cum in poſtrema & primaria noſtra methodo, ſemper ultimò combuſtio ſit adhibenda,quæ naturæ nimis violenta eſt, quod non patitur unquam natura, ut extremum quod ſemper fugit, medio gaudens. Reſpondemus calcinationem noſtram non eſſe naturæ violentam, etſi per combuſtionem violentam,aut levem, & ſuperficiariam fieri contendamus: quæ comburuntur enim in plantis, animalibus, & mineralibus, non ſunt eorum formæ, hæ ſcilicet quæ temperamentũ conſtituant, & ſunt ipſum temperamentum, nec etiam formæ quæ vitam dant, dum ipſa vivunt, & nutriuntur, quia ipſæ non pereunt nec igne, nec pereunte alimento, quamvis perire videantur. At in ſpermate elementorum occultantur, donec illud omnino pereat, & corrumpatur ſecundum ſpeciem aut genus ſpecificum quod determinatur, nam ſecundum genus generaliſſimum, quatenus ſcilicet, eſt purum putum elementorum ſperma, corrumpi non poteſt naturaliter, nam ſic totus deſtrueretur mundus, materia prima mundi corrupta. At comburuntur accidentia omnia, quæ ſunt extra naturam ſpermatis elementorum, quæ impediunt actiones& facultates mixti, ſperma autem poſtquam defæcatum eſt, & ſubtile factum, ſi ſuo iterum reddatur alimento puro, formæ iterum in eo occultæ prodeunt in lucem,& edunt actiones primarum ſimiles, quod non fieret ſi formæ calcinatione noſtra deſtruerentur, illę autem nunquam pereunt niſi in calcinatione vitrificante, quæ ſola deſtructiva eſt formarum,cum ſit ſpermatis elemẽ-

Solutio.

Quæ comburuntur in mixtis.

torum evaporatio, quod ſolum in natura radix eſt formarum omnium, quamdiu illud manet, tamdiu & formæ: unde magna cum induſtria, & ingenio tractandum eſt, ab igneque vitrificante præſervandum, ne quod in objectione declaratur, experientia ipſa manifeſtum reperias. Nam ipſum elementorum ſperma, quod forma mixtorum determinatur in hanc vel illam mixtorum ſpeciem, non adeò fixum & permanens eſt, quin evolare poſſit in aërem, & ibi ab aliis agentibus aliter diſponi, & tandem corrumpi, & ab alia forma, ab agẽtibus introducta, in aliam tandem determinari formam, unde mixtum aliud, & à præcedenti diverſum generari neceſſe eſt. Id ſimile in locis omnibus evenire poteſt, ex diſpoſitione illius ſpermatis, ab agentibus illud corrumpentibus, & formam aliam introducentibus. Qua de cauſa quamplurimum, imò ſæpe ſæpius fruſtrantur chymiculi, nonnulli artis chymicæ ignari, nam ex auro, argentoque, aliiſque metallis generant aliud, à metallo diverſum, unde præclarè illud Joannis Papæ XXI. ſpondent quas non exhibent divitias pauperes Alchymiſtæ, pariter qui ſe ſapientes exiſtimant, in foveam incidunt, quam fecerunt, ſtulti omnia dilapidant pro lapide, qui tamen lapis, ut ipſimet clamitant voce, non intellectu, omnia conſervat, omnia fovet, omnia cõtinet, omnia vincit, omnibuſque congaudet, ſolis tamen ipſis (ut explico) exceptis, ut veris, juratis, lethiferiſque naturæ hoſtibus, quos ſolùm irridet, quia illi illam peſſimè tractant, & vice verſa, peſſimè etiam tractantur ab illa, ſic fruſtraneus eorum omnium labor, & irritus conatus, ab eorum ipſorum inſcitia, & imperitia, quæ plerumque in ſtultitiam & ſocordiam adeò maximam mutatur, ut phantaſmatibus ſuis deluſi & ſomniis, quod ſomniant

Cur mixta elementa-rta corrum-pantur.

Vnde errores chymicorũ eveniant.

mniant in actum labore summo reducant; quodq; vigiliis, studio, meditatione sedula consequi nequiverunt, id somniis assequi tentant: quod prudentes, vigiles, & vivi, delibare solum minimè potuerunt, id stulti somno, vino, ciboque sepulti, & mortui absorbere conantur. Alii etiam his socordiores operum vanorum, & multorum tractatione, casu aliquo id invenire putant, quod unico opere, unica operandi via, necessariò fieri debet. Apage talem Alchymiam, cœlum potius corruet quàm id contingat.

Generationes ex spermate elementorũ. Fiunt omnes generationes qualescumque sint, ex spermate visibili aut invisibili, perfectæ ex visibili, imperfectæ ex invisibili: sperma autem visibile semper determinatũ est formis suis innatis & propriis quò & quibus ritè dispositis, cum agentibus convenientibus, loci, temporibusque recta dispositione, fiunt certæ omnes, & determinatæ generationes, ex ipsius spermatis determinatione. *Sperma duplex.* Sperma verò invisibile, toto hoc cœli ambitu dispersũ, nullo adhuc pacto determinatum est, sed est alimentum & fomes determinati spermatis, ut eo fomite, & alimento, in perpetuas duret ætates, secundum species, & genera saltem, non secundum individua, non secus ac spiritus sanguinis, est ipsius radicalis & fixi spiritus partim nutrimentum & fomes, quò partes omnes foventur, conservantur, nutriuntur, & crescunt, procreantur & generantur; hoc autem sperma invisibile, ab agentibus externis potest determinari, formam aliquam imperfectam in eo introducendo: hinc vitam habent omnia animalia imperfecta, sic dicta, quod organa sensuum, tum externorum, tum internorum ritè conformata, non habeant: non possunt autem ritè conformari, nisi à simili agente externo, à quo

conformitatem, & organorum perfectionem desumunt: à communibus enim causis, & generalibus, quæ omnes dissimiles sunt, nihil nisi vitam, & organorum vitæ inservientium imperfectionem accipere possunt. Sol quidem & cœlum generant omnia, at nisi conjungantur, rerum producendarum similia non generant & perfecta, ut cum homo producendus est, nisi Sol conjungatur homini, homo non producetur, conjungitur verò, cum virtus solis, virtuti spermatis humani adhærescit, & educit hominem in spermate occultum, auxilio tamen ipsius hominis sperma suum foventis, suometipso calore, ejusque virtute, organa perfecta, ex ipso spermate depromentis: sic Sol & homo generant hominem, Sol & leo leonem, Sol & bos bovem. Si verò aliquod aliud agens sperma humanum foveat, præter hominem ipsum: leoninum & bovilium præter leonem & bovem, non nascetur hinc homo, leo, & bos; etsi præstò sint aliæ causæ generales, & communes, quæ cum dissimiles sint spermati, sperma illud secundũ suam naturam suumque velle conformare non possunt, & ea omnia eatenus imperfecta, & monstra dicũtur. Corpus ergo vivum ex quo elicitum est sperma, necessarium est, ad educendum simile corpus, ex spermate elicito, si verò tale corpus non adsit, vel corrumpatur, dum fovetur sperma, & nutritur, perit illa similis generatio ex simili in omnibus: quamvis superstites existant omnes aliæ causæ externæ, & internæ: internæ inquam quia semina in spermate occulta, incorruptibilia sunt fere, & nisi alimentum incrementum, & fotum, ab aliis dissimilibus corporibus suscipiant integra manent, & inviolata, donec tale contingat, quod dum contingit, aliud generant, ut clarum est, in lolii generatione, ex grano tritici, quod dum corrumpitur, semen occultum in ventre grani,

Sol qua ratione generet omnia.

Sol quomodo conjungatur homini ad generationem hominis.

Ex alimẽto interno corrumpũtur aliquãdo & mutantur mixta.

grani alimentum aliud ſuſcipiens & incrementum & fotum, aliud etiam generat. Si verò triticum incorruptum maneat, ſemen occultum in ejus ventre ſuſcipit, ſimile alimentum tritico, (quod triticum incorruptum & illæſum in ſua ſubſtantia, ſuccum terræ & ſpiritum aëris attrahat ſecum magnetica vi) illudque convertat in ſuam ſubſtantiam, & ex ea ſubſtantia in eadem mutata caulem, folium, & ſpicam ipſam tritici nutrit: granum autem illæſum manere oculis ipſis, cernere licet, ad maturationem enim fere ultimam & pepauſin adhæret incorruptũ radicis caulis extremitati, quod in lolii generatione, non reperitur, ſed figura quædam adumbrata ſolum grani tritici, ea tamen nigra, corruptionis veræ ſignum verum: alia verò non eſt ipſius grani vera corruptio, ſed eſt ipſius grani, ſeminis vera digeſtio, ſeu coctio, in ipſamet grani tritici ſubſtantia, qua ſemen diſponitur ad generationem. Si verò corpus ſeminis corrumpatur, hoc eſt mutetur, in aliud reale corpus, quis eſt in rerum phyſices diſquiſitione ſciolus, quin ſtatim fateatur, ſemen etiam illius corporis corrumpi, hoc eſt in aliud degenerari, ex quo aliud germinari neceſſe eſt: eadem penitus ratione in animalibus, & mineralibus omnibus, id obſervandum eſt, & acuta ingenii lance perpendendum eſt; dum metallum & animal aliquod generari volumus, aut plantam: eadem enim eſt ratio in omnibus, cum hæc omnia generatione fiant, quæ cum generatione indigeant, ut in lucem erumpant, ſemine etiam indigent cujus ope ad id dirigantur. Semen ergo conſervandum eſt, ſervatur ſervato corpore illæſo, & incorrupto: in corporibus mortuis non reperitur ſemen aptum, ad generationem ſimilis corporis; ſed aliud, ad aliud generandum, ſecundum diverſam agentium actionem, unde error ciniflonũ omnium,

Quomodo lolium mutetur in triticum.

Semen quomodo conſervandũ.

qui ſeminum omnium eſſentiam, locum & conſervationem ignorantes, operibus ſuis aliud ſemper agunt, ab ſcopo, & eorum intento diverſum, & alienum: ſic metalla omnia in fumum vertunt, & ea omnia quæ tractant, ſic Deo, ſic naturæ, ſic proximo, & ſeipſis dedecori, fraudi, dolo, damno ſupplicioque habentur. Horum omnium errores ſpeciatim capitulo ſequenti, quinto, ubi de mineralium calcinatione agetur, narrabuntur, ut procul ab hac arte noſtra explodantur, tanquã Stymphalides aves, menſas noſtras conſpurcantes, Solisque noſtri radios obumbrantes, ibi enim Herculei ænei crepitaculi ſonitu, in exteras pellentur regiones, Galliaque Deo dante liberabitur horum omnium nebulonum amurca & ſpurcitia. Jam verò calcinationis noſtræ vegetantium ſecretos promamus actus, vegetantibus omnibus (qualiacumque ſint) prædicta methodo calcinatis, & ſpiritibus propriis imbutis, & calci unitis, & coagulatis, ut dictum ſpiritibus, quid inde putas oriri naturæ arcani? ſtupendi certè, & non revelandi? Attamen accipe, primo illud arcanum ſi ſit ex roſis extractum, omnes capitis affectiones calidas potiſſimum ſolvit, ſomnum gratiſſimum inducendo, & eo pacto naturam roborando, frigidas etiam ejusdem paſſiones lenit, ſpiritibus vitalibus fortioribus, & copioſioribus, ad caput ipſum, viis communibus, & meatibus demandatis, contra maniam, lycanthropiam, & ejusmodi incurabiles affectus nihil æquè potentius, præter ipſius Lunæ veræ, & Auri veri Phyſici arcanum. Omnes exteriores affectus, ulcera qualiacumque ſint, & vulnera ſolo illitu, & interno potu curat, fundamento ipſius vitæ, & vera baſi copioſiſſimè eo corpore & incluſa, & permanente, partibus ipſius corporis viventis appoſita, quæ

Vires & virtutes arcani roſarum.

quidem

quidem partes cum vitam naturali instinctu, tanquam earum omnium maximum bonum appetant, statim fugunt & sibi vendicant (ut id ad quod anhelant) id quo se tuentur & vivunt: unde vita in ipsis partibus volente nolenteque morbo quovis fovetur & conservatur in ipsis. Eo ipso arcano singulis mensibus habentur novæ & recentes rosæ odoriferæ, nec rosaria ipsa, ipsomet hyemis tempore foliis privantur viridibus, mortuaque ferè reviviscunt, si tantillo hujus arcani pulvere in aqua rosacea, aut spiritu rosarum dissoluto, roretur radix ipsius rosarii: tunc illo prodeunt folia, alabastri, & tandem ipsæ rosæ: singulisque mensibus id fiet modò etiam mensibus iisdem, tali madefiat arcano, rosarii radix. Ex his multa alia stupenda colligere licet, ex multis aliis arcanis quæ extrahuntur ex genere & sobole vegetantium, quorum methodus clarissime tradita est, libro secundo Myrothecii nostri, quod brevi tempore in lucem dabimus, cum Chirurgia Spagyrica, in quibus libris experimento oculari & manuali, arcana naturæ miranda (quæ in præsenti libro, verbosè tantum tractantur) ostendimus, quæ quidem tanta sunt, ut nisi fide ipsa Romana Catholica & Apostolica essem, sola Dei summi gratia illuminatus, & verba sacra haberem firmissime efferentia: Oportet hominem semel mori, juxta errorem antiquorum multorũ philosophorum existimare posset quis, hisce naturæ arcanis, in viventibus omnibus vitam perpetuari posse. Qui quidem error facilè reiicitur, cum ipsa imbecillitas seu mors, toti naturæ, fraude quadam, & hominis ipsius solius ut totius naturæ principis, temeraria ineptia, & rusticitate propter transgressum mandatum irrepserit: remansit tamen in natura

Rosæ quarati ne singulis mensibus haberi possint.

tura frustranea quædam potentia, qua ad perennitatem tendit, quæ verè in actum reducta fuisset absque peccato, vitæ spiritu desuper indito, fructui vivifico, quem D. us ad vitæ humanæ perennitatem in Paradiso voluptatis plantaverat. Quamobrem qui perennitatem quandam seu longævam ætatem (qualis post peccatum efflagitari potest) cupiunt, alimentorum quorundam spiritibus fixis nutriri debent. Si subitò & perfectè sanari ab omnibus morbis desiderent, his etiam uti est necesse: sanamur enim iisdem, quibus nutrimur, vita enim & sanitas in concreto subjecto, semper uniuntur nec nisi mente separari possunt. ἄβιος βίος βίος ἀβιώτος, vita ærumnosa, & morbosa, vita non vivenda. Itaque mirum Medicis esse non meretur, si vita vitam faciat, foveat, conservet, & in multos propaget annos; multò minùs si generationem animalium, germinationem herbarum, & arborum insolitis temporibus fieri posse hisce arcanis contédamus, cum natura ipsa dum hæc pareat, in singulis eadem utatur materia: si verò privetur temporis ratione, & subjecti quadam imbecillitate, generatione & germinatione, id non tam subjecto, neç tempori tribuendum, quàm ipsius vitæ spiritus defectui, qui tali subjecto talique tempori inest, qui defectus secundum majus & minus, majorem etiam & minorem producit in subjecto generandi, & germinandi actum, quod in animantibus capitulo sequenti clariùs elucescet.

Vita & sanitas firm[?] sunt Hippocrates.

Hinc colligitur q[?]a ratione arbores singuli anni temporibus non ferant fructus.

CAP. IV.

De Calcinatione animalium.

PEr difficillimum esse animalia calcinari posse, secundum intentionem nostram, quibusdam fortasse fieri, nullas ibo inficias: eam enim calcinationem

An animali calcinari possint.

tionem pati non possunt quin moriantur, mori autem non possunt, quin corrumpantur, alterentur, & in aliud degenerent mixtum: hoc argumentum idem est, ac superius confutatum, in vegetantium calcinatione, vis tamen ejus in animantibus inexpugnabilior præcedenti apparet, propter animam sentientem, qua pollent. Quæ quidem anima conservari non potest, in animantibus calcinatione nostra violenta, nec alia ulla, quia in certo quodam elementorum unitorum gradu consistit, extra quem dari non potest, & conservari in ipsis elemẽtis unitis, nec ex talibus educi. Idem de vegetantibus dici potest, nam iisdem constant elementis, & eadem materia, ac ipsa animalia, & eorum omnium formæ, eodem conservantur modo & ex eadem educuntur materia, ac animalium omnium formæ; differunt tamen in gradu elementorum unitorum, ex quo educuntur & conservantur. Animalia ex substantia subtiliori elementorum, vegetantia ex crassiori ortum habent Ut autem hæc omnia, hoc capitulo clariùs multò, quàm in præcedenti capite, opposita & objecta, dilucidiùs multò discutiamus, animadvertendum est, nos non quærere formarum animalium seu vegetantium cõservationem, sed materiæ, ex qua omnes formæ & animæ plantarum & irrationalium educuntur præservationẽ. Hæc autem materia præservari potest, sub aliqua forma, qua gaudet, & sub potentia ad omnes alias, quæ virtute agentiũ particularium educi possunt: Illa autem quænam sit materia, ulterius etiam disquirendum, ut penitus cognoscatur. Hippocrates libro de Diæta primo asserit animantia omnia, & hominem ipsum, & alia omnia, qualiacunque sint modo naturali mixta, igne & aqua constitui: Quo pacto autem possint constituere omnia hæc sola

Animalia & vegetalia iisdem constant elementis.

Materia formarum est solum calcinationis nostræ subjectum.

Hippocrates.

 duo

duo elementa contraria? Nam si his omnia generétur hæc commisceri debent, idem enim generari est ac commisceri. Commisceri verò minimè possunt sine medio, utriusque contrarii participe, cujus ope, hæc duo contraria misceri possunt inter se, & interim inter se pati, & agere donec perfectè uniantur, & in unione quiescant. Illud autem medium occultatur ab Hippocrate. Ratio in promptu est quia ille ignis, & illa aqua, ex quibus asserit hominem constitui, non sunt ignis & aqua simpliciter, sed quid unum, in quo ignis & aqua præcellentem habent virtutem, cujus solius ratione, illud unum ignis & aqua vocatur. Illud autem unum est humidum radicale, cum suo calido innato, ultimum partium omnium alimentũ in quo vis spermatis, solum consistit, & ex quo proximè & immediatè educitur ipsum sperma, unde & sperma, & semen non incongruè dici potest ad clariorem doctrinam, ex quo etiãm formæ omnes, virtute agentium externorum, educi possunt. Hæc sola materia (multiplicis nominis, tum apud Antiquos, tum apud Modernos naturæ scrutatores, ut passim videre est, singulis hujusce libri capitulis) conservanda est, vel potius pura puta, calcinatione nostra quærẽda est, & habenda; natura enim sua ipsamet vi eam conservat, non tamen ab spurcitiis suis, & excrementis liberare potest, hoc artis est, non naturæ. Ars autem calcinatione nostra utitur, & sequenti commodiùs quàm alia quavis. Sunt enim multæ, at omnes ad hanc tendunt, & diriguntur. Primò educitur sanguis ex corporibus animalium, in sufficienti quantitate, aut ex uno, aut ex pluribus corporibus, modo sint temperamento æquali & sano, deinde sanguis ipse eductus, aërisque externi facultate concretus; temporis tractu in umbra arescere

Explicatio sententiæ Hippocratis.

Spiritus mundi seu materia, sua sponte ab spurcitiis suis nõ liberatur.

Arcanum sanguinis, quo modo, & qua ratione fiat.

ſcere permittitur, ut humiditas ſuperflua, aquoſa ad nutrimentum illius humiditatis radicalis appoſita, ſenſim evaneſcat: Quæ prima calcinatio dici poteſt, etſi igne nõ fiat viſibili, ſed occulto, eo puta calore, per totũ aërem ſparſo. Tum demũ hæc materia optimè pulveriſata, vaſi vitreo, ad diſtillandũ apto, cucurbitæ vitreæ ſcil. indenda eſt, & capitello ipſi appoſito, juncturis quàm optimè clauſis, leviſſimo cinerum igne pellenda eſt hæc materia ad capitellum quæ primò in forma lactis, oculis ipſis ſeſe oſtendit. Secũdò Sal cryſtallinus aſcendit, lateribus capitelli affixus, ut cera fluens, ſummopere tamen volatilis, quem ſegregare oportet, & bene cuſtodire, ne pereat. Ultimoq; aſcendit oleum rubicundiſſimum novo capitello excipiendum, & illico augendus eſt ignis, quantum fieri poterit, ut quicquid eſt olei aſcendat, reliquumque in fundo remanens comburatur in cinerem albiſſimi coloris, tuncque perit, & frangitur cucurbita vitrea, nec unquam poteſt tantùm ignis pati, quantum neceſſe eſt ad illam calcinationem. Unde conſulo omnibus qui hoc arcanum tentare voluerint, ut poſtquam oleum totum aſcenderit, cineres qui in fundo cucurbitæ vitreæ nigri coloris reperiuntur extrahant, eosq; reponant tigillo terreo, ſeu crucibulo, fortiſſimo igne, per hebdomadam, in furno vitrario, aut ſimili, usque ad illam albedinem calcinandos, hæc calcinatio ſecunda eſt, ſed non adhuc vera & ultima calcinatio noſtra: nam ut ad eam perveniatur Sal purus putus ut cera fluens cryſtallinus optimi odoris, extrahendus eſt, ex cineribus illis albiſſimis, ſolutionibus, filtrationibus, evaporationibus, & deſiccationibus communi via, & methodo, factis, toties reiterandis, donec ad illam puritatem, & ad omnia ſupradicta puritatis il-
lius

Sal sanguinis vita thesaurus.

lius mera judicia deducatur Sal ille preciosus, naturæ animalis thesaurus & verissima theriaca. Postmodum Sal volatilis crystallinus, ut cera fluens, quatuor aut quinque sublimationibus, à suis impuritatibus vindicandus, & in unaquaque sublimatione vas sublimationis infernum mutandum. Aut illud idem perquàm optimè detergendum antequam Sal ascensus iterum solus, in illo reponatur, & iterum scandat levissimo igne, ad supernum capitellum donec puritatem quam maximam adipiscatur. Oleum etiam rubeum iterum distillationibus quamplurimis purificandum venit, donec rubini claritatem, & splendorem acquirat, ac aliquantulam fixionem, in igne satis magno permanentem, & interim odorem gratissimum. Ultimò hæc tria certo pondere & mensura conjungenda sunt, Sal puta volatilis, Sal fixus, & oleum rubeum, ignique levissimo, & continuo, per quàm longissimum tempus commendanda, ut ignis actione continua, & longa in vase apto, & hermeticè clauso, tandē hæc tria figantur, & in ignis asperitate quiescant, fluant ut cera sine fumo, quod postquàm factum reperitur, ipsa rerum magistra experientia, completa est, ultima nostra animalium calcinatio, seu humidi radicalis animalium coctio ultima, cui vita & sanitas vera inest, morborum omnium curatio, & totius naturæ animalis corporeæ purum & subtilissimum vitæ fundamentum & basis. Fides & veritas hujus tanti arcani, ultra rationes physicas infinitas, penes experientiam est. Hinc Ægyptiorum antiquorum quorundam sophi, ipsius Elephantiasis verum habuerunt remedium, non ex balneo ipsius sanguinis humani, ut perversè asserit medicorum quorūdam Parisiensium summus, sed ex arcano sanguinis supradicto: cujus inventionem

Oleum sanguinis ut purificandum.

In arcano sanguinis sanitas & cura Elephantiasis.

nem Ægyptiis solis deberi facilè crediderim: omnia enim Spagyricorum arcana in Ægypto potissimum floruerunt: unde summa cum injuria, imò cum insulsa animi ipsius temeritate, ab historicis quibusdam tribuitur illud crudelius morbo ipso remediũ Ægyptiis, physices ipsius coryphæis. Id autem forsan evenit, plebejo quodam rumore: cum illud remedium in arcanis fuerit apud Ægyptios, plebeja eorumdem turba tanti secreti non conscia, sanguinem puerorum ut saniorem, & spiritu illo vivifico pleniorem, Medicos Ægyptios conquirentes cernẽs, balneum eo sanguine parari putabat, vel quòd Medicorum horum quis ad eludendam turbam, tale portentum illi tanquam verum affirmaret, ut non amplius quæreret, quid inde fieret, & ne fractor sigilli cœlestis & hermetici esset, secreta naturæ & artis plebeiæ turbæ revelans: stultum enim est asino præbere lactucas, cui sufficiant cardui, rerumque minuat majestatem, qui divulgat mystica, nec maneant secreta quorum turba fit conscia: quamobrem meritò Medici Ægyptii turbæ plebeiæ similia verba dabant, à qua delusa, delusi similiter fuerunt exteri omnes, tanti secreti conscios se fieri cupientes, quisquilias populi, sapientum arcana reputantes. Non tam liberali more Ægyptii secreta sua pendebant, characteribus solum, secretorum hieroglyphicis, factitari consuetum, imò ratum illis omnibus erat; ut ex Pierio colligere licet, & ipsis antiquitatis Ægypti veteribus monumentis, semirutisq; templorum palatiorumque parietinis, quibus omnibus aliquid rerum naturalium secreti, characteribus variorumque monstrorum figuris, insculptum visebatur. Illudque ipsum renovandæ juventutis, morborumque omnium curandorum, sanitatisque & vitæ fontis arcanum, quod

Balneum sanguinis Ægyptiorum, erat arcanum sanguinis.

Rogerius Bacchon de secretis naturæ & artis.

Alchymia Ægyptiorum & omnis alia scientia, characteribus erat occulta.

Charácter arcani sanguinis, qualis apud Ægyptios

quod hoc capitulo clarissimè detegimus, quamplurimis in locis, apud Ægyptios, hieroglyphicè palàm ostendebatur, sub figura serpentis caudam suam sub guttur attractum occultantis, in Saturni dextera manu: quod hieroglyphicum nonnulli rerum occultarum diligentes observatores, pro annuo circuitu, pro tempore, pro ætate, pro immortalitate, alii pro bono dæmone, seu spiritu quo universam mundi molem afflante cuncta alantur, vigeant & perennent, posuerunt; unde cum spiritus hic unus, & idem in duplici censeatur doctrina, volatilis per aërem, totiusque mundi ambitum diffusus unus, alter fixus, & coagulatus, seminis cujuscunque rei centro tanquam claustro, detentus, atomis Democriti indicatus, duplicem etiam Ægyptii fecere anguem, alatum unum, inalatum alterum, & unum alteri mutuis amplexibus supposuerunt, ut mutuo amplexu illo indicarent unitatem horum duorum fieri debere, ut firma quantum fieri potest haberetur perennitas: qua autem rei similitudine, tanti secreti serpentes illi veri sint indices, hinc colligere licet: serpens inprimis terra ortus terra vivit, spiritus etiam ille vivificus ut superius dictum est, è terra cujuscunque mixti extrahitur, terraque sua etiam ex qua ortum habuerit nutritur, ut in præcedenti arcano visum est: serpens quotannis vere aut autumno exuviis depositis, senectutem juventute redeunte, deponit, spiritus ille noster, toto hyemis tempore, hoc est quamdiu excrementis terreis frigidis, siccis & humidis conspurcatur, tamdiu generatione, germinatione, & fructificatione ipsa privatur, donec vere ipso adventante, & autumno, hoc est adventus novi spiritus, & caloris excrementa illa deponat, quæ propriè senectus sunt, & in arboribus, & plantis ocu-

Explicatio characteris arcani sanguinis seu ænigmatis illius.

los

losexerit, & gemmas, mox flores exſinuat, paulatimque fructum ex fœtu ipſo aperit & oſtendit, & ſic tota natura vere & autumno juveneſcit: ſerpens itidem ſinuoſis flexibus terram ſerpit; ſpiritus vivificus,tum terræ, tum viventium omnium corpora tortuoſis ambagibus,penetrat, in corpore humano reliquorumque animalium corporibus, nihil clarius videre licet: nam per venas & arterias eorum ſinuatim & anfractim deportatur, ſimiliterque fiunt hæc omnia in arboribus & plantis,totiusq; terræ plagis, mineris & focis, in quibus ſinuatim & per varios anfractus ſpiritus hic, ſerpentum inſtar defertur. Serpens multiplici variegatur colore, & potiſſimum viridi,ſpiritus autem ille mũdi, omnium colorum cenſetur pater, viridi tamen colore tanquam proprio,& innato adornatur:Fertur ſerpentem mori,dum pullos edit in lucem ſuos; ſpiritus mũdi,toties moritur,quoties ex eo aliquid novi generatur, & producitur. Serpens ſanitatis hieroglyphicum Medicis factus eſt, ſpiritus vita ipſa eſt, & ipſa ſanitas; ſerpentis effigies à Moſe ex ære in contum ſurrecta, populum Dei in eam oculos intendentem ab incommodis, quæ ſe in tanta itineris longiſſimi anguſtia oggerere potuiſſent divino ſpirante præſidio liberabat: ſpiritus ille mundi, ſi fas ſit hunc cum alio comparare,à terrena, fæce vindicatus & in cœleſtem quaſi virtutem materiamque redactus, quid eſt in rerum natura incommodi, quod illud ipſum ſuo etiam odore non demulceat; imò penitus annihilet? Serpens deinde in Ægypto hujus rei hieroglyphicum caudam ſuam vorat, vel ore attractam occultat; ſpiritus itidem in arcano noſtro, nonne humiditatem ſuam vorat? Calidum etiam innatum in viventibus omnibus,dum viget, nonne humiditatem ſuam conſumit,

Colorum omniũ quoq; pater & author.

mit, caudæ ſuæ indicem? quæ quamdiu durat, tamdiu & ipſa vita perſiſtit: in noſtro autem arcano, non voratur ejus cauda, ſeu humiditas, ſed occultatur in ventre, & fit corpus: unde cum cauda ſeu humiditas, ſit perennitas corporis, ſeu fixi ſpiritus, cum humiditas illa corpus facta eſt, corpus perenne factum eſt, & arcanum vitæ conſervandæ ſummum: ſerpentis caro cruda & incocta absque ulla debita præparatione, venenum ſummum eſt, & deleterium. Spiritus corpus crudum, & è foco minerali ſimpliciter extractum itidem venenum eſt, at præparatum, & debito igne coctum morborum omnium, & ipſius veneni cujuscunque rixotomon, pariter ac ipſius ſerpentis caro præparata & cocta, ex qua theriaca facta eſt. In hieroglyphico ſerpens alatus ſerpenti impennato ſuperponitur; in arcano noſtro ſpiritus volatilis ſpiritui fixo jungitur, ut fiant unum perpetuum & cœleſte. Uterq; ſerpens in hieroglyphico caudam ſuam vorat, ſeu occultat, humiditatem etiam ſuam uterque ſpiritus in arcano congelat, & ſic comedere videtur, & vorare, unde jam ſatis admodum, & adeò clariſſimam eſſe cenſeo ſympathiam & ſimilitudinem hujusce Ægyptiorum hieroglyphici, & arcani noſtri ſeu phyſici, ut neminem in poſterum dubitare crediderim hieroglyphicum prædictum, arcanum ſuperius detectum occultare, ſuoque ænigmatico emblemate, mirum hoc naturæ opus continere: quod quidem ex vegetantibus, animantibus, & mineralibus extrahi ſimili methodo, & via poteſt, non ita tamen ut vegetabile arcanum, in animale & minerale habeat poteſtatem, & ſic vice verſa, unum in alterum, ut putant Spagyricæ artis quidam penitus ignari; ſed unum in ſeipſum tantum, hoc eſt minerale in mineralia, vegetabile in vegetabilia, animale in

Humiditas radicalis perennitas corporis.

Arcana quomodo inter ſe convertantur.

le in animalia, energiam & facultatem alterandi obtineat, etsi inferiùs asseruerim miro artis nostræ artificio unum in aliud transmutari posse: id fotu unius in alterum fit, ut quando minerale arcanum ad vitam animalium fovendam suscipitur, minerale arcanum etsi determinatum sit, ad mineralia perficienda, nihilominus tamen vices gerit animalis arcani, & summopere fovet vitam & reparat, quia vices alimenti summi gerit, ideò fotu illius alimenti, reparatur vita viventium, id clarius in sequentibus fiet, ubi de transmutatione arcanorum locupletior erit sermo.

CAP. V.

De Calcinatione mineralium.

Calcinatio mineraliũ semper occulta.

TAnti fecerunt mineralium calcinationem veteres Philosophi, ut ad eam occultandam, ne otiosis hominibus esset manifesta, variis nominibus donarint Plurimis enim in locis, Alcoolisationem vocitarunt. Alcool si quidem tenuissima est, cujuscunque rei pars: non possumus autem habere illam tenuissimam partem nisi per calcinationem; ea namque partes crassæ hoc est terrenæ, à tenuissimis, hoc est igneis, & aëreis separantur. Facessant ergo Pharmacopolæ qui triturando, ac terendo, & per incerniculum transigendo, alcoolisationem facere contendunt. Ignis solus est verum ac legitimum alcoolisationis incerniculum, quod ex dictis superiori capite colligere licet. Dicitur etiam simili modo trituratio, ut habetur in turba Philosophorum Tere, Tere, Tere, & non te tædeat prolixitatis, & quod quæris invenies. Per illud, tere, ter repetitum intelligitur calcinationis in re chymica faciẽda necessitas. Unde ille impalpabilis pulvis apud

Alchool qua ratione dicta sit calcinatio.

Quid per Tere intelligatur in turba Philosophorũ.

D chymi-

chymicos,tot nominibus insignitus, totque laudibus & encomiis evectus originem habet; at non in mortario fit, sed in forno eoque chymico, hic enim est verum mortariũ, quod ibi morti omnia tradantur, quæ qualitate, aut substantia peccant, ut inde vitam veluti habeant feliciorem, ab omni elementorum fæce liberam. Præterea parcè loquuti sunt, & sub nomine alterius operationis, aliqua tamen ex parte huic similis. Ratio autem hujus rei in promptu est, quòd si apertè locuti essent de calcinatione, totam artem fere docuissent: docuissent

Mercurii extractio in calcinatione latet.

etenim totam quasi Mercurii veri extractionem, quæ minimè est detegenda, imò magis quantum fieri potest obnubilanda, ea namque detecta, ars chymicorum, ludus puerorum potius, quàm Philosophorum opus haberi mereretur. Attamen etsi parcè admodum, de ea locuti sint, satis filiis hermeticæ doctrinæ, & alumnis eam patefecerunt, imò eorum silentio, eorumque characteribus, sa-

Character calcinationis qua ratione differat à charactere Mercurii.

tis apertè indicarunt. Character autem calcinationis Mercurium imperfectum sua forma præ se ferens, cum verè, & in rebus calcinatis imperfectus sit Mercurius, filiis tamen doctrinæ perficiendus, ut culmen attingant perfectionis operis. Perficitur autem si inter crucem inferiorem & semicirculum superiorem characteris. O addas quod est perfectus circulus: circulando igitur perficitur imperfectus qui latet in calcinatione Mercurius ☿ quo modo autem id fieri debeat superiùs dictum est, & adhuc clarius in sequentibus dicetur.

Mineralia cur calcinentur.

Mineralia ergo omnia calcinantur, ut humidum eorum radicale volatile, à fixo, (cui inhæret ut alimentum) separetur & utrumque separatum purgetur ab spurcitia superflua, ut penitus ab ea emuncta, iterum invicem conjungantur, & fiant unum

unum fixum, quod ut fiat notandum est, mineralia quædam reperiri, quæ ex toto privantur humido volatili, qualia sunt lapides omnes, & metalla omnia, hæc quidem in fusione amiserunt, illi verò in ortu paucam habuerunt, plurimum verò terræ. Unde igne non fluunt, nisi vitrificatoria fusione. Alia verò sunt quæ ex toto volatili humido composita sunt, sed illud humidum non purum est, sed sicco terrestri adeò permixtum, & unitum, ut invicem separari non possint, sed illud siccum terreum una cum humido ascendit, & nunquam separatur ab eo, nisi per corruptionem, quæ maximi est ingenii, & profundæ inquisitionis: illud autem siccum terreum non est ejusdem substantiæ, cum humido illo volatili illi permixto, sed alterius substantiæ, & contrariæ, perfectionem illius humidi impedientis: si enim esset ejusdem essentiæ, esset illud naturæ arcanum, quod à Philosophis tantopere desideratur, esset illa terra foliata, Mercurius volatilis, sal naturæ volatilis, Luna Philosophorum volatilis, Avis hermetis. Ethelia alba, ignis, aër terram in ventre gestans, sublimatum & Arcenicum Philosophorum, quod quidem omne unum differt toto cœlo ab illis mineralibus tanquam vita à morte, anima à corpore. Est enim nempe vitæ eorum omnium, & animæ sedes, qua habent esse in rerum natura, sed valdè diminutum & imperfectum, ab intésione prima, illius animæ, seu formæ; illud autem vitium naturale, seu imperfectio, non potest corrigi, nisi per corruptionem corporis vitiati, & reductionem illius corporis puri (quod est animæ seu formæ sedes) ad primum purum suum esse, quod valdè arduum est, & herculeo labore, labor improbior. Potest quidem corrigi, at melius est, ab incœpto opere revocare gradũ, quàm

Siccum terreum in metallis duplex.

 id

Ex mineralibus prædictis lapis philosophorum fieri non potest.

id persequi. Arrigant hîc aures Argyrophili, pamphili illi, qui ex mineralibus similibus tincturam philosophorum extrahere tentant. Habent inprimis reductionem faciendam eorum omnium mineralium in terram viscosam, humiditate aquea elementari dissolubilem, fumosa aliqua substantia valde ponderosa prægnantem, quæ quidem fumosa substantia extrahenda est ex illa terra, & separatim ambo, terra puta & fumosa substantia, ab heterogeneis omnibus emungenda sunt: tuncq; temporis habent principia tincturæ perficiendæ. Simili cribro hauriunt aquam, eundemque volvunt lapidem, qui ex metallis, & lapidibus hanc tincturam adimplere tentant, cum illa omnia etiam reducenda sint ad illam terrám prædictam, ut ex ea eliciant fumosam substantiam, quæ est humidum volatile radicale, metallicum: in mineris metallorum omnium, & mineralium alimentũ, quo in dies semper crescunt, & ad perfectionem tendunt, quo quidem humido, metalla in fusione privantur, unde privata alimento suo proprio moriuntur, & verè mortua sunt, & nihil in eis relinquitur, nisi terra metallica, spiritu suo privata, quæ quidem potest facillimè extrahi, & purificari, & cum ea spirituosa substantia, fumosa illa, humidum volatile alimentum proprium, certo pondere potest conjungi, & sic arcanum parari. Sed ad quid hoc dispendii laboriosi? Nonne terram philosophicam habemus puram in corpore aureo nostro, ex quo per humidum metallicum terram nostram foliatam paramus, ex qua sola deinde cum eodem humido metallico purissimo absolutum perficimus arcanum, & sic excusamur à labore purificationis terræ mineralium imperfectorum & impurorum, quæ nihil aliud habent pretiosi ad arcanum nostrum perficiendum,

Tinctura Philosophorũ principia quæ.

In metallis non est nisi terra Philosophorum non Mercurius.

quàm

quàm copiam multam ſpirituoſæ ſubſtantiæ metallicæ volatilis: terræ verò fixæ ſi quid habent impurum eſt, & multis elementorum vitiis contaminatum, & adhuc non ad metallum determinatum. De metallis imperfectis idem aſſerendum, non habent ſpirituoſam illam ſubſtantiam, aut ſi quid habent, paucam habent: terræ verò illius fixæ habent aliquid, ſed impurum & contaminatum, quocirca in auro & argento quieſcendum, & ex his per ſpirituoſam minēralium ſubſtãtiam puriſſimè extractam, terram illam puram metallicam extrahendã & terram foliatam, ex qua pura & munda, per ſublimationem, & continuam coctionem, & humidi radicalis ſui nutritionem Deo dante arcanum perficies. Cave ne terram auri aut argenti aliis ſpiritibus quàm ſuis, & ſympathicis fœces: etenim in alienam, hoc eſt noſtro arcano contrariam & diverſam ſubſtantiam tranſiret, ut ego ipſe vidi, aurum ipſum natura ipſa incombuſtibile, & incremabile, in pulverem pulvere ipſo tormentario ſeu bellico combuſtibiliorem redactum, ſpiritu ſulphureo combuſtibili, terra ipſius auri fœta, quo nefanda ſcelera committi poſſunt, in hominum inevitabile malum: terrę motus prægrandes effici queunt, quò domus, imò civitas integra etſi populoſa ſit ſusque deque ſubverti poſſint. Arcanum certè, pulveris bellici invẽto multò peius, & crudelius, cujus proclamatorem, in ſuperiorem mundum beatum iri non exiſtimo, tanquam inexhauſti malorum fontis demonſtratorem. Unde hìc Harpocratis ſilentium commendatum habere licet, labella digito comprimenda, ſcribendique ſtylus omnino aridus ſiccusq; habendus eſt, ne anſam copioſioris mali improbis præbeamus, neque malorum infinitum acervum, hoc ipſo augere videamur. Sic Alchymia,

Pulvis tormentarius ex auro mirabilis. Crollius in Baſilica, cap. de auro po'ab. & Petrus Arlenſis de ſcudalupis in ſpeculo lapidum pretioſorũ.

antiquorum Poëtarum vera Pandora videtur, quasi rerum omnium donum, à qua mortalibus, bona omnia, malaque concessa sunt, non tamen idcirco adeò contemnenda, ut mali gratia, quod ex ea educitur, ex hominum proborum cœtu censeatur eliminanda, imò his inculcanda solis, improbis verò recusanda, quòd hi bonis omnibus improbè utãtur: non secus ac animalia venenata, & plantæ, quę alimenta quævis etsi optima, in deleterios convertunt succos: ubi natura tamen mortem posuit evidentem, ibi etiam vitam maximam insevit, probi vitam seligunt, improbi mortem colligunt. Hi damno & supplicio æterno, illi lucro & deliciis summis, & perennibus. Unde Alchimia probis, optimis, res veneranda, & quam maximè amplectenda, nefariis verò nefanda est. Quamobrem jure merito prohiberi omnibus deberetur: Medicis solis summis ac probis exceptis, utpote naturæ servis fidelibus, qui ut sibi famam, honorem, decusque summum vindicent, beneque mereantur, ex præscripto Dei authoris naturæ, mixta naturæ in hominum commoditatem & usus convertunt: alii verò omnia in deterius vertunt, Alchymiamque lucro tantùm, non honore & laude Dei, & proximi utilitate, & commodo tractant. Quorum omnium fraudes & errores hoc peculiari capitulo palàm facere decrevimus, ut his prælibatis, calcinationem nostram melius percipiant artis veræ veri alumni. Vidi quãplurimos Argyropœia & Chrysopœia immeritò famosos, qui sola fraude, & præstigiis tantam laudem sibi per totum quasi orbem comparaverant, ut veri Hermetes crederẽtur. Plumbum, stannum, & argentum vivum, reliquaque metalla, auro & argento ignobiliora, pulvere quodam factitio, à Physico illo vero, toto cœlo alieno, in aurum & argentum

Alchymia quibus concedi mereretur.

Fraudes & sophismata chymicorum hujusce temporis.

gentum convertere se gloriabantur, pulvere metalloque convertendo in fumum validissimo igne evanescente; aurum verò vel argentum minutim carbone aliquo, vel virgula aliqua lignea excavata, vel coopertorio crucibuli fusorii inclusum reperiebatur fusum purum putum, & optimum quale absconditum anteà fuerat. Sic ille artem chymicam Chrysopœiam & Argyropœiam exercebat. Aliquando subtiliùs quidem, sed semper præstigiosè, aurum & argentum commune optimum, vulgari aqua forti solutum, tartareoque aliquo spiritu repercussum, cum tantillo sulphuris communis flavi in tigillo liquatum in massam aliquam facillimè liquescétem, hac facie velatum, & quasi occultatum, in plumbi certam quantitatem proiiciebat, forti deinde igne adhibito plumbum evanescebat, similiq; metallum, aurum verò vel argentum massa liquabili occultatum post cineritium reperiebatur, quantum inerat auri vel argenti aqua forti fusi, & tartareo spiritu repercussi. Aurum iterum & argentum tartareo hoc spiritu repercussum, nova & recenti aqua regia solvebat, totiesque iterabat opus, donec aurum & argentum non in pulverem, sed in crystallos, in fundum pelleretur pellucidas, quas iterum solvebat, nova aqua regia, ex soluto humiditatem superfluam balnéi calore eliciebat; quodque in fundo remanebat auri vel argenti oleum prædicabat: huic oleo metallorum reliquorum calces, vel corpora, & ipsum argentum vivum immiscebat, levique peracta digestione in calcem redigebat, propulsa in altum per alembicum humiditate aquea spirituum plena, calcem superstitem cineritio transmittebat, aurique tantùm reperiebatur, vel argenti, quantum solutione (in ventre salis sulphurei absconditum salis

Methodus auri faciẽdi improba & præstigiosa.

vultu) velaverat, cæteris in æthera actis. Miram illicò alacriter, & perfricta fronte, dimisso omni pudore proclamabat, omnibus argyropœiam & chrysopœiam. Quamplurimæ aliæ, & penè infinitæ sunt chymiculorum similium fraudes & præstigię, quas tanquam rudiores, crassiusculum vulgi cerebrum, seu Minervam sapientes, silentio involvam, hujusce fraudis summo tædio victus, præcipuè quòd his solis, hominum agyrtorum litera longa

Alchymia nullatenus damnāda.

dignissimorum solo opere, Alchymiam totius Philosophiæ Minervam unicam, & margaritam præcipuam inter præstigiatorias artes indocti aliqui, vel pallio tenus, tantum minervati, collocent. Prô nefas! tantumne est in rerum natura vitii, ut vitia ipsa, & crimina artificum arti ipsi dentur? Si philosophi nonnulli crimine læsæ Majestatis teneantur, philosophia ipsa erit capite plectenda, & à regno in sylvas, montesque steriles propulsanda? Artes nunquam calumniandæ, etsi artifices calumnia summa

Hippocr. lib de arte.

polleant, & turgeant; ignotarum enim artium calumnia, non sanè intelligentiæ votum, aut opus esse videtur, sed proditio inscitiæ. Crimina horum nebulonum artem criminari non possunt, non enim proculdubio arti inserviunt, sed arti nocent: eorum enim omnium opera id indicant, & testantur.

Trevisanus.

Tincturam Philosophorum omnes peragere flagrant: at methodo, à vera & unica Philosophorum via adeo diversa, & aliena, ut penè hominem potius ex luto, veluti Deus conficere possent, quàm hi ad optatum opus suum deducere finem. Quamplurimi sententiam hanc adeò in animo radicatam habent, ut vitam ipsam cum morte malint commutare, quàm hanc ex animis avellere: In auro & argento puta esse semina auri & argenti, ut in homine semen hominis: illis omnibus videtur hæc inexpugnabi-

gnabi-

gnabilis ratio & sententia. Trutinetur tamen quæso physices illius lance, videbitur & reperietur futilis & inanis. Semen reperiri non potest in his, quę non crescunt, & germinant: semen enim in rebus omnibus est sola causa germinationis, & quia ultimum alimentum est, causa etiam augmentationis habebitur, cum hæc ad nutritionem referatur & alimentum. Aurum è minera sua, focoque extractum, & igne liquatum, & fusum reliquaque metalla, quis crescere & germinare censet? cùm semen in his tunc temporis reperiri nō possit: nam semen est pars subtilissima alimenti quam natura ad propagationem mixti seligit. Ultimum autem illud alimentum in metallis, est succus quidam terrestris mineris sparsus, qui calore centrali terræ & suo ipsomet insensibili pedetentim longo tempore fit metallum, & metalla eo ipso nutriri & verè crescere dicere possumus. Cùm autem illud alimentum metallum factum est, semen non habet, in se prolificum, veluti pars aliqua solida hominis, non habet semen, in quantum est solita simplex pars, sed in quantum est imbuta & plena alimento ultimo, ex quo immediatè educitur semen; & quia partes solæ solidæ, illud suo sinu coërcent alimentum; ex his etiam solis asserunt medici omnes semen prolificum elici. Unde cum partes solidæ destituuntur alimento illo, privari etiam semine necesse est: semen non potest esse sine tali alimento, nec alimentum sine semine. Aurum autem & reliqua metalla, cum liquatione ex mineris separantur, nonne alimento illo privantur, incoctum enim est, hoc est infixum, & volatile, nec ignem pati potest, & ideò in liquatione avolat, relictis partibus solidis, ex eo coadunatis, quæ solæ igne liquātur, & aurum sunt, metallaque reliqua secundum perfectam illius ul-

Plato in Timæo & Fern. in abditis rerum causis.

Aurū non crescit extra mineram Sendiurgius in novo lumine chymico. Se en quid.

Partes solidæ qua ratione dicantur habere inter se semen.

Laurētius in historia anatomica.

Sendiurgius in novo lumine.

Semen auri in liquatione illius avolat.

timi alimenti digestionem, & congelationem. Jam verò in auro, argento, reliquisque metallis, semen auri, argenti reliquorumque metallorum latitare quis rationis compos & mentis, opinabitur; cùm arida sint corpora, succoque destituta quo vivunt, nutriuntur & germinant? Et si hæc ita sunt cum verè ita sint, quis Philosophorum credet illis agyrtis hominibus, qui ex auro & argento, reliquisque metallis animam se extrahere scire jactitant, cùm jamdiu extracta fuerit, dum liquationem passa fuerunt, terramque illius animæ apprimè purificare, terræque purificatæ animam reducere puram, perfecteque ligare asseverant? Animam certè & terram auri sermonibus suis vectitant, quam intellectu, & mente non recipiunt: Aurum enim & alia metalla, dum metalla sunt, non sunt anima illa & terra ex qua fiunt; veluti homo dum perfectus est, non est sperma & vis illa ex qua fit homo, & completur; nec ex homine, nisi vivo elici potest, nisi per varias sui corporis corruptiones ut his tandem deducatur ad ultimum hominis vivi alimentum: Ex quo deinde in homine vivo, proximè & immediatè, educitur vis illa seminis, hominum omniũ procreatrix. Sic ex auro fuso, tanquam mortuo, reliquisq; metallis, & quamvis non fusis, & igne liquatis (quia scio in multis locis posse reperiri metalla pura, ab omni cruda metallica materia segregata, natura ipsa, sine ullo igne adhibito, qui deficiente natura, ad hanc separationem arte adhibetur) non potest educi vis illa metallorum productrix, nisi per varias corruptiones ad illam materiam crudam, succumque terrestrem metallicum deducatur. Qui labor inanis est, & subdifficilis, & quod pejus est valdè sumptuosus. Natura, viliori multò pretio nobis corpus præparavit, ex quo & anima ipsa & spiritu, corpus

Qua ratione semen ex homine mortuo elici posit, & ex metallis liquatis & fusis.

Semẽ auri ex alio quã ex auro elicitur.

corpus auri & argenti vivificatur, & ex his simul sumptis & unitis levi decoctione, mirabili arte paratur philosophorum sulphur, quod anima, spiritus, & corpus dicitur; ex quo immediatè, arcanum paratur mirandum, ad metallorum transmutationem. Corpora metallica perfecta, matrices tãtùm sunt, & loca, in quibus illud semen coqui & determinari debet. At hi omnes qui tincturã hinc elicere tentant conjunctiones illas & coctiones non faciunt, ut harum ope metalla perfecta ad corpus illud, quod dicitur sulphur, anima, & spiritus, deducantur, sed ut ad tincturam immediatè optatam perveniant; unde perquàm optimè falluntur, aliosque fallunt. Deducunt quidem nonnulli horum, metalla ad quendam salem, mirabilem & fusibilem, potentissimæ virtutis, at transmutandi capacitatis impotem, tanquam spiritu proprio, metallo, fœcundo, fixo, transmutandi capaci, privatum. Is enim Sal, est tantum altera pars terrea tincturæ, quæ aëreæ & igneæ parti conjungi debet, ut tincturam transmutandi efficiant completam simul junctæ & unitæ illæ partes. Neque Sal hic metallorum, qui solus est omne quod ex metallis habere licitum est, purus putus est metallicus ut opinor, cum eliciatur, rerum quarundam ope quæ salem habent multum non metallicum, qui metallico conjungitur, & nunquam separatur, nisi adventu spiritus metallici, qui sali metallico puto jungitur, reliquis ut excrementis expulsis, nisi metalla ipsa calcinentur aqua illa permanenti dicta, spiritus metallici plena, & ejus ope ad salem reducantur metallicum; tunc enim temporis, fateor ex metallis salem purum putum haberi posse ad tincturam idoneum. Sed ad quid hoc? Salem habes eundem in corpore, ex quo aquam permanentem eduxisti.

Sal metallorum purus putus potest esse terra philosophorũ ut hinc tinctura certa fiat.

Qua methodo sal metallorũ extrahi possit purus putus.

Salis metallici extractio vanus est labor absque aqua permanenti.

Irritus ergo eſt omnis labor qui metallis impenditur, vanique homines qui tali tinctura gloriantur, absque ſpiritu noſtro & aqua permanenti; cum ea enim intelligo adjungenda corpora perfecta metallica, alioquin ea inutilia cēſeo. Similes etiam colligunt fructus, qui mineralium aliorum ex toto volatilium ſpiritibus ſiccis aërem perturbant, & ſublimationibus toti incumbunt: Etenim ex his calcem illam vivam, materiam illam fixam incremabilem habere non poſſunt; in his enim non eſt, cum ſint ex toto volatilia, nec etiam humidum illud aëreum purum putum, ab omni terrea ſpurcitia liberum, cùm jam à natura ipſa, in his omnibus terreo aliquo impuro ſit unitum & congelatum, & adeò fixè inhærens, ut unum ſine alio ſeparari non poſſit, niſi per corruptionem & alterationem: unde idem fere labor ſubeundus erit in his, ac in metallis, & ut nubem ſolam pro Junone amplectũtur Ixioni ſimiles, non Deos aut heroas pariunt, ſed Centauros, monſtrá puta, quæ parentis naturam non ſapiunt. Et ſi cum Junone vera, rem verè ſe habuiſſe gloriari auſi fuerint, à Jove ipſo, principe puta aliquo potentiſſimo, fulmine in miſeriam tanquam ad inferos detruduntur æternam, lapidi ſuo alligati. Faceſſant igitur hinc omnes ſimiles Alchymiſtæ, qui nihil aliud docere poſſunt, quàm oleum & operam perdere: ut felicius ſapientiusque vivamus, neque palpantibus eorum verbis, curioſa juventus obdormiſcat, è civitate omni, imò è regno quovis eliminentur in exteras regiones, feris & brutis ſolis dicatas, ut ibi miſeria preſſi, tandem reſipiſcant, melioraque ſequantur, & doceant. Diſcantque jam proprio ſuo damno, metalla omnia, & mineralia ea, quæ ex toto volatili humido, terreo itidem volatili impuro unito compoſita ſunt,

Calx viva ex quibus elici poſsit.

Chymicułorũ hujus temporis miſeriæ.

Metalla & mineralia quæ calcinari non poſsint calcinatione.

calci-

calcinari non posse, calcinatione vera chymica: ea enim est ut superius dictatum est, humidi radicalis volatilis, ab humido radicali fixo, & incremabili separatio, quę separatio in his celebrari non potest, cùm hæ ambæ substantiæ simul junctæ, in his minimè reperiantur, ut visum est, & ratione demonstratum. Superest ergo ut in aliis mineralibus, quæ supersunt tandem reperiantur hæ ambæ simul jũctæ substantiæ. Datur tamen unum inter omnia, quod potissimum habet & abundat hisce substantiis duabus, unde rebus dicitur, aliisque multis & fere infinitis nominibus apud philosophos insignitur, & his potissimum: nominatur materia prima metallorum, Lapis philosophicus, Aqua vitæ, Venenum, Cambar, Spiritus medicina, Cœlum, Nubes, Nebula, Ros, Umbra, Luna, Stella signata, & Lucifer, Aqua ardens, Aqua vitæ metallica, Aqua stellata, Aqua foliata, Aqua permanens, Aqua non madefaciens, Terra foliata, Aurum foliatum, Luna foliata, Plumbum, Stannum, Ferrum, Aes, Mercurius, Sal nitri, Sal petræ, Lixivium, Sponsa, Conjũx, Mater, Eva, Virgo, Hermaphroditus, Coagulum lactis, Lac virginis, Lacus siccus, Lac bulliens, Mel, Sanguis draconis, Sanguis spiritualis, Balneum, Syrupus granatorum, Acetum, Sulphur naturę, Calx, Alumen, Sputum lunæ, Sputum incombustibile, Aes ustum, Aes incombustibile, Aes nigrum, Flos æris, Laton, Serpens, draco, marmor, Crystallum, Glacies, gumma alba, Magnes, Ethelia alba, Humidum album, Fumus albus, Fumus rubeus, Immundicia mortui, Mortuum caput corvi, Corvus, nigrũ nigrius nigro, fimus, ens metallicum, virtus mineralis, anima, spiritus, Elementum, Ignis, Aër, Aqua, Terra, Tartarum philosophorum, anima elementorum & Cœlum. Quintum, Elementum, materia omnium

Nomina omnia quibus lapis physicus insignitur.

Qui horũ omnium Etymologia perscrutari vellet Alchymista summus fieret.

omnium formarum, feces dissolutæ, feces calcinatæ, Iris, Cor Solis, Solis umbra, Chaos, Hyle, Venus, homo, vir, fœmina, microcosmus, mater metallorum, & omnium rerum solus & unicus pater, tinctura Hermetis, Temeynchum, Yharit, id est aurum & argentum Talk, Thabritis, Beia, Boritis, Lapis tyrius, Azoth, Sal Armoniacus, Sal Alcali, Auripigmentum, Salmura marina, Auricolla, Crocus, Elixir, Aquila volans, Venenum tingens, Theriaca, Vipera, canis, Lupus, Camelus, Spata, gladius, cultellus, canicula Armeniæ & canis Corascenis masculus, Ovum Philosophorum, sputum boletorum, spissum auri, Vapor, Sal Alvizadir, Borreza, Tincar, Vulphi, Sulphur Zarnet, fæx vitri, Vitrum, viride æris, Vitriolum, Romanum aurum, Leo viridis, fumus citrinus, Almagra, Eudica, Terra fœtida, Ventus, Affrop, Arena, Moszhacumia, Aurum Ethees, Albira, Astuna, Arsenicus, Berbel animal, Cinis fusibilis, fermentum, Sublimatum, Lapis non lapis, Succus Lunariæ, Sal fusibile, Cinis impalpabilis, Clavis metallorum & operis, Duenech, oleum, oculus piscium, pulvis à cinere extractus, Radius Solis, Oleum incombustibile, Sal sapientum, Sal lunariæ, Salsatura sulphuris, Sapo sapientum, Sodo Philosophorum, Solutum volatile, Solutum fixum, Sperma philosophorum, Absemir, Alkusal, Alzon, Alocines, Alembroth, Alus, Anatron, Anathuel, Antimonium, Aurum rostri, Aurum coralli, Colera, Contentum, Continens, Dies & splendor Solis, Ebmich, Ebsemeth, Elsaron, Exebmich, Fel, Flegma, Aureum gummi, Pullus Hermogenis, Hirudo, Karnech, Kenchel, Kibrich, Kinna, Vita, fons, via, vetula extenuata, Tuchia, Soror prima, Servus rubeus, Servus fugitivus, Serpens seipsum impregnans, virga metalli,

In intelligentia & cognitione horum nominum latet tota ars & explicatio authorum chymicorum.

talli,Sericon, Albar æris, frater serpentis,Soror serpentis, Res una, Corsufle, Maris splendor, Mare, Rauderich,Rarum,Res cruciata, Numus Faulech, seu Chalybs, Corona Regis, Trames, Lignum aureum, spiritus fulgoris, Gumma alba, Gumma rubea, Gallus, Taurus, compositio mortui munditia, Aqua sanguinis, Lapis animalis, mineralis & vegetalis, & benedictus filius ignis, Dominus lapidum, mors amara, butyrum dulcedo, cauda pavonis. Aliisque multis donatur hoc minerale nominibus, sed sensu ad prædicta correspondentibus; tricentena nomina, quæ omnia cum ratione summa, secundum variam in coctione proprietatem, colorem, sapôrem, similitudinem, & rei mysticæ occultum indicem, à priscis omnibus philosophis huic minerali indita fuerunt. Quod omne libro peculiari, spero me demonstraturum fore, in quo capitulis distinctis, horum omnium virtus, energia, ratio & Etymologia, cum ipsa idiomatum varietate pervestigabuntur, nî improbum philosophorum vulgus, ab hoc opere me avertat, & avocet, quem me docere, pœnitet & tædet, propter calumniam qua afficiunt Alchymiam, & contemptum quo ipsam habent, & quamvis inexpugnabilibus vincantur argumentis; nihilominus tamen semper murmurant & prostrati assiduam non cessant quærere luctam: sed eos mittam omnes, tanquam desperatos, ne infametur veritas ipsa Alchymiæ, quæ mihi ipsi, aliisque multis, divina ope saluti fuit, tum animæ, tum corporis. Minerale hoc, quod præ omnibus spiritibus metallicis abundat, doctrina mea non percipient, quamvis nomine vulgari & communi, inter nomina & vocabula prædicta à me ipso indicatum fuerit. Sufficit mihi ut artis alumni, qui totam artis directionem & natu-

Proverbiũ vulgare.

Quid opus habeant chymici ad

tinct. rum inveniendam.

naturæ intensionem (ob non datam experientiæ commoditatem) non planè & dilucidè cognoscũt, hoc opusculo percipere possint. Quibus omnibus fideliter, piè sancteque si mihi credant, consulam minerale hoc sagacissimè perquirere, perquisitum experientia tentare, an trinæ illæ substantiæ homogeneæ in ipso lateant, quas superius duas asservi, quia spiritum cum anima metallica complicavi, & etsi quatuor assererem, falsum non dicerem, duæ enim latent substantiæ in corpore sicco fixo, radicalis puta humiditas fixa, qua in igne fluit, ut metallum, & siccitas terrea, Salis scilicet substantia qua frigore congelatur, & aliæ duæ in corpore humido volatili, una spiritum continet, quæ in distillatione egreditur, in specie fumi albi ponderosi, & ideò deorsum tendit versus humiditatem superfluam, in poris cujus insinuatur & conservatur; donec contractu assiduo humiditatis, in humiditatem transeat, & sic nobis ad usus nostros conservetur. Altera verò animam complectitur, quæ etiam in distillatione apparet in forma fumi albi levissimi ad idcirco non deorsum ut spiritus, sed sursum tendit, & in vase receptorio rotat & gyrat, donec ut & spiritus poris aquæ includatur & simili via fiat aqua. Quem fumum etsi album Morienus rubeum vocat, quòd aquam rubeam faciat, & quod facili negotio & levi coctione, terreæ aureæ substantiæ auxilio in fumũ verè rubeum, hoc est in terram foliatam rubeam & aurum coralli convertatur. In his iterum substantiis latet excrementum superfluum quod separandum est, quia heterogeneum, ob quam rem etiam non numeratur inter substantias homogeneas prędictas, quas si optimè ex corpore quo clauduntur separare scias, separatas ab excrementis emungere, & puras putas in unũ fixum redigere corpus, quicquid

In fumo chym corũ ex ouo fit Mercurius latet excremẽtum separandum.

quid

quid in regno minerali expeti poteſt, medius fidius obtinebis. Quod ut aliqua ratione, te conſequi poſſe, authorem me habeas, hanc ſequere viam. Sumantur mineralis illius prædicti, lib. 100. exſicca levi calore, in vaſe æneo, donec humiditas ſuperflua exhaletur, cavendo ne exſiccatione fortiori colores appareant varii, citrini aut rubei, ſed in albedine perſiſtat pulvis ſubtiliſſimus, cujus tantùm duas libras in retorta luto peroptimo fortiſſimè ſpiſſeque munita, pones: hanc retortam longiſſimi colli, ſuo ita recipienti capaciſſimo unies, ut ejus collum oblongum ipſius recipientis ventris medietatem ſubintret, ut fumos egredientes percipere valeas. Sitque collum retortæ collo recipientis ſtrictiſſimè junctum, juncturæque complicentur luto hermetico, ſeu chymico communi, ne ſpiritus vi ignis in receptorium pulſi, hiſce juncturis malè clauſis evaneſcant. His ita præparatis, colletur Retorta in furno diſtillatorio, ut flamma retortam circundet, & pedetentim candentem reddat, donec fumi albi, tum primi, tum ultimi omnino concidant, quod commodè, & aptè fieri non poteſt, niſi furnus diſtillatorius capitellum habeat, obeliſci forma, in ſuperiori parte perforatum, amplo ſatis ore & foramine, per quod carbones, ſupra ipſam retortam & circa illam, circumponi poſſint & accendi ab aliis prunis ardentibus in meditullio furni exiſtentibus. Hoc etiam capitellum ante perforatum eſſe debet, quo trajici poſſit ipſum retortæ collum, luto munitum. Illudque autem capitellum ita furno debet complicari & jungi luto recenti, ut rimis nullus exeat calor, & potiſſimum ea parte, quæ vergit ad receptorium: Alioquin enim frangeretur à calore exeunte, & amitteretur aqua illa pretioſa, totius arcani theſaurus, aut ſaltem ita incaleſceret,

Methodus extrahendi Mercurii philoſophorum.

Furnus in quo commode diſtillatur & eſcurius deſcribitur.

ut ejus calore ſpiritus ſua natura ſicciſſimi, & ſubtiliſſimi evaneſcerent, antequam in aquam mutarentur. Unde ut citiùs tranſeant in aquam, & mercuriaſcant laudo, & valde probo receptorium aquæ frigidiſſimæ immergere, prudenter tamen & cautè, ne frangatur rebus ponderoſis, quæ ſuperponi debent receptorio, ut illud in aquam teneant depreſſum. Poſtquam autem hac fortiſſima diſtillatione, fumi conciderint omnes, in receptorium augendus perquā fortiſſimè ignis, per tres aut quatuor horas, ut quicquid eſt heterogenei, in calce ſuperſtite, tandē comburatur, & ſi quid adhuc reſtitet ignis, & animæ, ſeu fumi rubei & albi leviſſimi tali igne ultimo fortiſſimo egrediatur, tunc temporis morti ſeu extinctioni ſpontaneæ dādus ignis eſt, ut poſtquā perfriguerint omnia vaſa, & furnus ipſe, eximantur, & aqua diſtillata in receptorio optimè clauſo, firmiter conſervetur, ne ſpiritus qui vita aquæ ſunt, ab ipſa aqua avolent: Calx verò in fundo retortæ ſuperſteś, (nigri coloris aut purpurei obſcuri, ſi vehementem & convenientem paſſa ſit ignem, aut rubei coloris ſi mediocrem) Jovi frigido noctu diuq; per aliquot dies exponenda, quòd ſiccitate ſua ſpiritum rori immiſſum, radiiſque Solis & ſtellarum, toti mundo demandatum ad ſe, & ad ſui naturam convertat, & peculiari ſuo igne intrinſeco calore coquat, ad metallici crudi ſpiritus eſſentiam. Quam deinde calcem aqua communi pluviali, aut alio modo limpida, ſolutam ab excrementis terreis, heterogeneis inſolubilibus, filtro, horum hypoſtaſi facta, purgabis, purgatamq; evaporata aqua, exſiccabis in pulverē albiſſimum, quē optimè ſiccum & aridum iterū in retorta, ut prius luto ſapientū munita, collocabis, diſtillationemq; ſimili methodo, ac via, ad finem perduces, ac anteà perdu-

Quid agēdum ſit in fine diſtillationis Mercurii philoſophorum.

perduxisti, eodem potius regimine, ac penitus fortiori, quàm debiliori, donec concidant spiritus omnes, quos in hac secunda distillatione, copiosiores prima ipsa habebis, & in tertia quam in secunda, & in quarta quam in tertia, & sic deinceps, donec deficiat fere tota materia & in spiritum convertatur, quia spiritu attracto, dum privatur toties, magis ac magis exsiccatur, & arescit. Unde magis ac magis attrahit aëris humidum (Elementorum omnium radicalem essentiam) quo solo gaudet & sitim explet, & sic in illo corpore latet perpetuus & perennis metallici spiritus fons & origo, mirum certè ipsius naturæ arcanum. Qui omnes spiritus debent, ut prius dixi summo cum studio in receptorio custodiri, quia vita sunt ipsius terræ: & terra ipsa, seu Calx his absentibus inutilis est ferè, cum non habeat penetrandi subtilitatem, ob suarum partium crassitiem, quam potissimum subtilitatem habere debet, Elixir philosophorum & tinctura. Ex nullo autem alio habere potest, quam ab spiritibus terræ puræ, puriter coadunatis. In principio extractionis horum spirituum, magnam copiam sumimus hujus mineralis ex quo extendi arte nostra potest spiritus iste, ut citissime per diversas in diversis furnis collocatas retortas copiam sufficientem habeamus spiritus istius, eumque purificemus cum terra ipsa sua, ex qua extractus est & in ista purificatione verè transeat in corpus aqueum, cujus ope deinde & auxilio, terræ metallicæ puræ poros pandimus & aperimus, & terra metallica, sicca & infertilis proiicit tunc temporis semen suum & tincturam in corpus illud aqueum, & fiunt ambo sulphur naturæ metallicum, quod deinde iterum solvimus eadem aqua, & coquimus donec tãdem volatile fiat corpus aureum,

Humidum aeris quid sit in elementis.

Methodus vera & absoluta faciendi lapidem philosophorũ.

quodque iterum ſolvimus & coquimus eadem aqua, leviſſima coctione, leviſſimo igne & cõtinuò, donec tandem aſſueſcat ignis aſperitati & figatur in pulverem rubicundiſſimum, arcanum arcanorum totius mundi. Et hic pulvis terra eſt Philoſophorum puriſſima, quã puriſſimam cognoſcimus ex virtute & efficacia projectionis, & cùm ab igne nullo pacto alteratur, nec corrumpitur, ita ut ignis nihil in terra ipſa inveniat comburendum & alterandum, ſed terra liqueſcat in igne, ut cera, aut butyrum nec pertimeſcat violentas quaſcunque ignitiones, dùlciſſima ſit, & limpidiſſima ut cryſtallum, metallaq; omnia convertat in puriſſimum aurum, & corpora omnia morbis affecta ſanet. Tunc enim temporis, ultimam purificationem adepta erit, verumque aurum & argentum philoſophorum & tinctura eorum, fons vitæ & ultimum eorum Balſamum, & eorum puriſſimum & conſtellatum cœlum terræ mixtum, & terra omnino factum.

Signa abſoluti & perfecti lapidis.

Vitæ Balſamũ quale.

Ob quam rem nemini philoſophorum vulgariũ mirum jam fortaſſe videbitur, cœlum terræ miſceri poſſe, terramque fieri, cùm ipſi ſpiritus cœlum dicãtur apud philoſophos chymicos propter ſympathiam quam in cœlo habent, & ex cœlo oriantur radiis puta Solis, Lunæ & Planetarum, & Stellarum omnium aëris medio, ut ſuperiùs viſum eſt, extrahantur, ita ut unus & idem ſpiritus ex cœlo demiſſus, ſpiritibus fixis animalium attractus fiat animalis, plantarum plantalis, mineralium verò mineralis, & ſic in uno quoque regno, cœlum ipſum, animal, planta & minerale, fiat, ad eorum omnium conſervationem & vitam. Quæ quidem conſideratio mentisq; ratiocinantis conatus ultimus, philoſophos antiquos induxit, Elixir illius vitæ faciendi methodum indagare. Quod certè opus natura ipſa

Qua ratione cœlum terræ miſceri poteſt.

Natura lapidẽ philoſophorũ

ipsa incipit, sed ex caloris sui imbecillitate, & excrementorum suorum separandorum impotentia, ad perfectum sui statum deducere non potest, cum illud ipsum vitæ elixir, nihil aliud sit, quam fixio, & permanentia spiritus illius cœlestis, & invisibilis, in materia vel animali, vel plantali, vel minerali. Hanc autem fixionem, & permanentiam naturam assidua actione, indesinenti labore, & opere, in singulis mūdi rebus moliri aliquatenus cernere licet, in animalibus omnibus vi magnetica, vitæ ingenita, attrahitur aër pulmonum suctu, & Diastole, non solum ad refrigerium nativi caloris, sed etiam ad reparationem, renovationem, & augmentationem illius, cùm fixus & permanens sit, idcirco renovatione perpetua, & perenni eget ut vita permaneat, quam renovationem perpetuam obtinet, ex alimentis & aëre: hic ad cor tanquam ad summum vitæ Alchymistam per arteriam venosam in omnes pulmonis partes, sparsim deportatur, & in ejus sinistra spelunca excoquitur, & unâ cum sanguinis tenuioris parte, quæ à dextra ejus spelunca, septo medio tanquam filtro quodam in hanc transcolatur miscetur ad quandam fixionem & permanentiam adipiscendam, mixtione mutua spirituum alimentorum, qui per sanguinem, coronario, venæ cavæ ascendentis trunci rivulo, in dextrum cordis ventriculum deferantur, ut mutuis mixtionibus fiant, spiritus ille vitæ thesaurus, qui ex solo aëre esse non potest, nec ex solis alimentis. Ex aëre esse nō potest propter nimiam ejus subtilitatem, & volatilitatem, nō enim posset sinistrum linquere ventriculum, & arterias omnes excurrere, quin in æthera iterum unde elicitus fuerat evanesceret: nec ex solis alimentis propter crassitiem, & glutem quo coërcetur essentia sua, non enim posset tanquam

incipit, & qua ratione absoluter non potest.

Aeris necessitas ad vitam.

Aeris præparatio ad vitam.

Laurētius in anatomia sua lib 4.c.4.

Cur spiritus vitalis, nec ex aere solo, nec ex alimentis solis fieri non potest.

pede intricatus, ſingulas partium corporis ambages ſuo lumine perluſtrare, innatumque & fixum qui latet in his ſpiritum, fovere, ſopitum ſuſcitare, deliteſcentem promere, & exhauſtum reſarcire. Sicq; fulgente ſuo lumine, toto ſeſe corporis theatro, pandere, cuncta ſummo perfundere gaudio, roſaceoque & vivido ſuffundere colore, at contra quia ejus glutine interciperetur, & tandem extingueretur, partes ejus liverent omnes & unâ interirét. At natura ſui provida, & ſatagens miſcuit ſubtili craſſiori, ad craſſius ſubtili attenuandum, & ſubtilius craſſo ſubigendum, ut ex duobus ejusdem generis, tertium ejusdem etiam eſſentiæ exurgeret, ad vitam ſuſtentandam idoneum, quod tandem variis coctionibus fit calidum innatum, tunc aliquantulam habet fixionem, quam qui fortiorem habent diutius etiam vivunt, & fortius etiam morborum omniũ telis reſiſtunt. Ultimam fixionem autem habere non poteſt duplici potiſſimum ratione: prima quod debili coquatur calore: poſteriori quod humidum ſuperfluum & aqueum ſeorſum quod medici dicunt omni ex parte, ex humido radicali ſeparari non poſſit: eſt autem ſeroſum illud humidum ex neceſſitate naturali, humido radicali junctum, ut eo melius, faciliusque ad partes deducatur, tanquam quid ea humiditate, dilutius, in quod ſpirituum infixorum vitalium motus, potentiam ad partes id ipſum deferendi, & propulſandi, per quam maximam habet, ita ut illud humidum aqueum, & ſuperfluum ſit alimenti verum vehiculum, & ipſi ſpiritus ſint principium, & cauſa ipſa motus humidi radicalis, per quem defertur ad partes ut eo nutriantur. Unde ſuos æſtus habet, non ſecus ac mare ipſum Microcoſmi, cujus æſtus, ſeu acceſſus & receſſus veriſſimam & ſolam ratio-

Qua ratione ex mixtione ſpiritus elementorum & alimentorum fiat calidum innatum.

Humidũ aqueũ ſpiritus vehiculum.

Spiritus eſt cauſa, motus humidi radicalis.

rationem,non ad aliam referri posse causam existimo, quam ad spiritum illum mundi, quo impletur mare, veluti humidi radicalis ipsius terræ solum, unicum & primarium fontem, sicut ipse spiritus nō solùm in Microcosmo, sed etiam in Microcosmicis omnibus corporibus, regitur hoc est crescit, ab astrorum omnium influentis, & potissimum Solis & Lunæ, ascendentibus facultatibus, sic etiam nōnulli philosophi doctissimi motum illum, quo æstuatur mare, ad Lunæ & astrorum ascendentes vel descendentes virtutes retulerunt; sed pace eorum dixerim non ita res se habet nisi virtutes illas spiritum illum crescentem, vel decrescentem intelligant. Nam ipse spiritus mundi ordine sapientissime à Deo statuto, est bajulus & lator virtutis cœlestis, cujus soliùs ope astra in hæc inferiora, agere possunt & hinc pro virtute ipsa, & agendi cœlesti facultate sumi non immerito potest, quod Virgilius his verbis affirmat.

Motus maris seu æstus unde.

Motus seu æstus maris non est a Luna.

Principio cœlum ac terras camposq; liquentes
Lucentemq; globum lunæ, titantaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet,

Nec obiiciēdum est mare Mediterraneum, fluviosque pene omnes, exiguis aut fere nullius tentari & agitari æstibus reciprocis, cū mare Mediterraneum, & fluvii & fontes infiniti non turgeant subtiliori adeò spiritu, ac turget ipse Oceanus, non secus ac venæ non tot ac tantis & fere nullis agitantur fluctibus, ac ipsæ arteriæ spiritu subtilissimo, & ad motū promptissimo plenæ, & refertæ, ita ut Oceanus & fluvii & fontes æstuantes, mundo sint cor & arteriæ, mare verò Mediterraneum, fluvii & fontes alii pacati, venæ tantum & hepar. Nec tamen more Stoicorum perperam intellectorum animal mundum

Cum mare Mediterraneū reciprocus non agitetur fluctibus ut Oceanus.

dum esse puto, in profundis Oceani nares quasdam habens, per quas emissi anhelitus vel reducti, modo inflent maria, modo revocent. Hoc enim fabulosum est nec Stoicos nisi ænigmatice hæc anilia sensisse puto. Existimabant quidem mundum hũc, animal quoddam esse, quod anima quadam & spiritu valeret, sed illa anima, natura illis erat, & spiritus, tenuissimum & Alcool elementorum omniũ, illis iisdem habebatur, quo naturæ vis & potestas universo communicaretur. In quam ego sententiam, totis mentis meæ laxatis habènis, ire non erubescam, cum animam illam sive naturam, etsi alioqui invisibilem & spiritum identidem, arte Spagyrica in animali regno vegetabili & minerali, elementorum corpore indutum, me vidisse, merito nullo, sua sola gratia dignatus sit Deus, quem iterũ atque iterum rogo ac deprecor, ut id ipsum cernere liceat, multis optimorum morum philosophis, ut tandem divino aspirante lumine, nobis vera appareat philosophia, velaminibus, & teguminibus omnibus depositis quibus adhuc obtegitur, & in posterum obtegetur, nisi quis antiquorum omniũ philosophorum fabulas & ænigmata optime, & ut decet explicet, ut physeos Aristotelicæ velo faciẽ obductæ, antiquitus in ipsis Aristotelis stemmatibus depictæ (tanquam ab ipso Aristotele invisæ, & ab aliis multis) velamina prorsus dirumpat, nobisque nudam commonstret Dianam, seu physim: hęc autem brevitate vitæ, & operis improbo labore judiciique difficultate, & experientis famæ periculo, fieri posse non existimo. Attamen hujus operis avidos admonere non desistam, si naturam velint, & cupiant videre nudam, eos debere hisce omnibus operibus chymicis quæ in hoc libro capitulis omnibus inseruntur, totis viribus incumbere: his

Mundus qua ratione sit animal ex sententia stoicorum.

Philosophia adhuc obscura, & velamine tecta.

Aristotelis stemma quid indicet.

enim

enim solis animam illam, naturam, quam alii philosophi materiæ primæ coævam potentiam, ingenerabilem, & incorruptibilem formis omnibus accommodatam dixere, corpore quodam tenui exaltato, velatam cernere poterunt, cum ejusdem animæ spiritu, quem etiam animam & naturam dixere, ex quibus solis tincturam philosophorum fieri posse decrevimus, naturamque per seipsam, ad eam tendere naturali motu suo intrinseco, tanquam ad ultimum sui motum in quo quiescere debet, ut dictis claruit: ad quem tandem ut deveniat finem arte eget natura, sibi simili. *Lapis philosophorũ e quibus fieri possit.*

Postquam à terra, ut prædictis est demonstratum, spiritus omnes separaveris, terramque tunc temporis nigram, & mortuam albis scintillulis & filis argenteis micantem, ab omni nigredine & elementorum fece, prorsus denudaveris, filtratione & evaporatione multoties iterata, cũ ignitione summa, donec ad candidum vel rubeum idque limpidum devenerit colorem, spiritusque tuos omnes, è terra elicitos, ab omni humore superfluo, & aqueo fœtenti (donec etiam ad colorem candidum, vel rubeum clarum pervenerint) privaveris: horum trium terræ scilicet animæ, & spiritus certo pondere & mensura, (quam experientia, ex ipsorum coagulatione tibi commonstrabit) fiat conjunctio, & hæc simul conjuncta coque per mensem assiduo ignis regimine satis valido & acri, (interne loquor) donec solvantur, solutim purum putum coquendum levissimo igne donec coaguletur & tingat: hæc via omnibus aliis brevior est & operatore indiget acuto & subtili. Alia vero quæ ab omnibus philosophis indicata est, longior multo & periculosior erratu, cùm in crudis omnibus, tum terra ipsa, & spiritibus cõsistat coquendis, unico levissimo, ignis *Regimen integrum & absolutũ lapidis philosophorũ.*

gimine: quæ via ita ſe habet, ſpiritus ipſos crudos puros tamen & limpidos accipe, hisque ſenſim inebria terram crudam, ſiccam, tribus aut quatuor calcinationibus leviſſimis, ad ruborem uſque, ſpurcitie ſua quantum liquet emunctam, donec omnino in temperatiſſimo igne, humido, ſolvatur, ſpiritibus ipſis ab humiditate aquea fœtenti, & calida, cum ipſamet terra, in humorem atrum & nigrum velut atramentum converſis, quod eodem igne coques, ſeparata interim ſingulis octo diebus aut tardiùs, humiditate ſuperflua, donec variegato, & multiplici, in ſuperficie tingatur colore: Quem colorem ſeu corpus illud eo colore variegatum, cõtinuo coques, quousque albedinem ſummam adipiſcatur, & hoc album quousque citrinum fiat, & hoc citrinum quousque rubeum, & hoc rubeum donec ſiccum clarum, & ut cera fluens, & fixum tanquam metallum perfectiſſimum. Hæc via longiſſima eſt, & annos ferè duos æquat, quam in turba chymicus quidam antiquus, ſub nomine Platonis, hacce verborum tenebroſa ſerie doctiſſimè depinxit. Accipite ea quæ non fugiunt, & conjungite, & abluite corpora eorum cum incorporeo, donec incorporeum corpus recipiat, corpore non fugienti, & vertite terram in aquam, aquam in ignẽ, ignem verò in aërem, & cælate ignem in intimis aquæ, terram verò in aëris ventre, calidum miſcete humido, ſiccum verò frigido, quia natura naturam ſuperat, deinde verò natura naturæ congaudet, tandem natura naturam continet, continens autem omnia terra eſt: cùm enim quatuor naturæ in cœlum aſcenderunt, & rurſus tandem deſcenderunt, ita ut ignis in aërem, aër in aquam, aqua in terram incidat, finis itaque totius operis, pulvis ac cinis ſunt. In his & ſimilibus quæ paſſim in turba occurrant

Ænigmaticus ſermo de lapidis factione in quo tota ars continetur.

rant verbis, vulgaris caligat oculus chymicorum, perperam hæc verba interpretantium. Sed ut prædixi deponant ſententiam qua credunt auro, argẽto,& mercurio vulgari,cum aquis fortibus, & metallicæ ſubſtantiæ eterogeneis tincturam philoſophorum fieri poſſe: Quærantq; corpus meum minerale in eo invenient veram aquam homogeneã metallis,cum qua purum centrum metallicum elicient,& aurum philoſophorum,& argentum, quę corpora non fugientia in turba dicuntur: eademq; aqua verus eſt mercurius, qui in eadem turba, & ſententia Platonis & aliorum philoſophorum incorporeus dicitur, cùm in igne permanentiam firmam,& fixam cruditate ſua haberi non poſſit, eoque invento,experientia ſuper ipſum tentata, procul dubio,ab eorũ omnium oculis, caliginem ſubitò abire me hercule promitto, & me probe aliosque omnes philoſophos, etſi obſcurè loquentes intelligere, eosque ipſos fateri cogi aſſero, totam Alchymiam hoc ſolo corpuſculo contineri. Unde cũ hisce tantũ capitulis prædictis operationes ad longum omnes quæ circa illud ipſum corpuſculum fieri poſſunt,apprime detegerim:omnia etiam chymicorum arcana, detegi, palamque feci, nec opus eſſet alias ſubſequentes promiſſas perſequi operationes, cùm has omnes calcinatio unica noſtra complectatur.Sed in favorem omnium phylochymicorum promiſſa perſolvam, cùm in ſubſequentibus ſtupenda lateant naturæ arcana. Priùs tamen recenſere licet in calcinationis noſtræ calce, arcana varia miranda, quæ hac prædicta calcinatione mineralium haberi poſſunt, præter metallorum omnium in optimum purumque aurum & argentum transmutationes. Quæ quidem arcana ego ipſe, non experientia tentavi, ſed rationibus multis

Corpora nõ fugientia apud chymicos qualia ſint & ubi reperiantur.

Arcana chymica in mercurio philoſophorum latent & tota Alchymia.

multis & mentis meditatione ſubolfeci. Quæque & ſi ſupernaturalia prima fronte videantur, naturaliter tamen fieri poſſe, ratio dictat: Inprimis ſi in calcinato, noſtro ſoluto infixo & crudo, puro puto, magnes ſolvatur, calcinatum modo ultima calcinatione fixetur, unà cum ſpiritibus magnetis infixis, magnetis vires adeò potentes ſibi vendicabit, quas iterum magnetis novi ſolutione in tãtum augere poterit chymicus, ut ferrum quacunque diſtantia, vehementi adeò ad ſe motu, attrahat, ut nullo repagulo, quantumvis firmo, & tenaci cohiberi valeat quin raptim, tendat ad locum, quo calcinatum ſpiritibus magnetis imbutum continetur. Quodque etiam iterum atque iterum, ſpiritibus fixis & infixis, ſanguinis hircini æquali pondere, poteſt ſolvi & congelari, interim ſpiritus magnetis copioſiores ſolutione intromitti, & coagulatione retineri, donec magicum naturale fiat arcanum ad mira naturalia patranda, qualia ſunt: Ad naves prægrandes ferro onuſtas ferreisque inſtrumentis bellicis munitas, alijsque ferreis rebus, longiſſima diſtantia, velint nolintque nautæ, invito etiam ventorum quocunque flatu, attrahendas: Ad domus ſusque deque ſubvertendas, ad milites & equites omnes numero quamtumvis maximo, ferro & enſibus & ſclopetis armatos exarmandos, & hinc debellandos, ad amicos incarceratos carcere educendos, dirruptis eo arcano, & tractis ferreis cancellis, ſeris & hamis: ad amicum alloquendum multis terræ plagis diſtantem, beneficio horologii, cujus ſtylus ferreus hoc arcano magnetico ſit delibutus, & literæ Alphabeticæ ſint ordinatim diſpoſitæ, horarum modo, ut graphicè depingitur in mathematicis arcanis noſtris ſpagiricè tractatis.

Diſſimilia de Theamede lapide, ferrũ, & omnia

quæ

quæ ſimphathiam cum ferro habent, procul à ſe abigente, arcana confici poſſunt, ad omnia prædicta impedienda, & ad ictus ferreos, enſis puta, & gladiorum quorumcunq; & ſimilium rerum enervandos, ita ut eo arcano perunctus, aut idem ipſum phiala incluſum geſtans, renitenti gladio, ſimilique repercutiente percuti non poſſe videatur, ut ex proprietatibus iſtius lapidis colligere licet, virtus enim naturalis remitti & intendi arte poteſt. *Plin. lib. 36. cap. 19. historiæ naturalis.*

Huc ſimiliter deferri poſſunt, mirabili artificio omnes plantarum virtutes & energiæ, earumque omnium ſingularium effectus, adeò augeri & multiplicari, & intendi poſſunt: veluti ipſa experientia comprobari licet, ut plantæ ipſæ, ex quibus ſpiritus extrahuntur, & in arcanum ſolvendi iterumque fixandi deportantur, mortuæ & inefficaces videantur, reſpectu arcani plantalis, ſpiritibus ſalis earum artefacti. Et verè etiam tunc temporis non eſt arcanum metallorum, ſed plantarum, modo rectè operatus fueris: quod ſpiritus plantales fixi alterent ipſum, & in ſuam naturam & eſſentiam convertãt: non ſecus ac arcanum plantale & animale crudum & infixum convertitur, in minerale fixum, modo arcanum minerale ſolvatur, fixetur, & unietur cũ illis, coagulatione firma, & fixa, inter ſe enim invicem reciprocum habent amorem, quo coeunt, & fiunt unum, ut teſtatur multis in locis, Lullius chymicorum ſummus, & experientia quotidiana: nam plantæ ipſæ, in homine vivente & edente, fiunt homo, & homo terra ſepultus fit planta, dum ipſa evocat alimentum, ex putrente hominis carne. Legiturque multis in locis, aurum fuiſſe repertũm in ipſo homine vivente, aureosque dentes in ore naturam conſtituiſſe, & in cadaveribus mortuorum aurum itidem granulatim inventum. Quod fieri poſſe, haud

ſe, haud dubito, propter allatam rationem. Si enim ab uno ſpiritu naturæ elementaris omnia prodeāt, qui in tria genera diverſa, animale puta plantale & minerale dividitur, quid impedit, quin unus in alterum, reciprocum habeat ingreſſum, per corruptiones, ſecumque ſuam deferat animã, quæ transmutandi verum & unicum eſt principium, fortiori mutante, debiliorique mutato.

Advertant tamen quæſo chymici omnes, quo modo hæc ita fieri poſſint ratione dictante contrarium, ut videri videtur, cùm alimentum ſemper tranſeat in naturam nutriti, quod fixi ſpiritus nutriti, ad ſui conſervationem & multiplicationem, convertant in ſuam ſubſtantiam, hoc eſt figant alimentorũ infixos ſpiritus. Unde cùm arcanũ fixum ſit, ſpiritusq; plãtarum, & reliquarum rerum quarum ſuperiùs meminimus infixi ſint omnes, quos arcano noſtro, figẽdos immiſceri videmus, non cõvertent arcanum in ſuam ſubſtantiam, ſed convertentur in arcani eſſentiam, & erunt illi alimento: veriſſimum hoc eſt, ſed percipiat quid velim, quis ingenio valuerit, non enim omnibus ſcripſi, offas ſemper non dabo præmanſas, ut in argumento hujus operis in principio libri teſtatus ſum. Intelligo ſpiritus ad quorum virtutem redigere arcanum noſtrum volumus, fixos eſſe debere, & arcanum factum: Ad quod multiplicandum multum valere ſpiritus infixos ſolutos minerales, qui apud nos & chymicos alios, arcanum minerale dicuntur Nam ſi ſpiritus poſſunt eſſe alimentum aliorum ſpirituũ fixorum, & dum figuntur, ab eorum digeſtivo calore, tranſeunt in ſubſtantiam eandem, & proinde in eandem virtutem, non ſecus, ac inſita omnia inſitione recenti, trunco aliquo veteri aut novo, diverſæ ſpeciei ab inſito, alligata & unita, alimentum humo-

humorem terræ, trunci ſuctum radicibus, in ſui ſubſtantiam convertunt, & figunt, etſi per truncum diverſum ab inſito transmittatur in inſitum: Quæ tamen alteratio, non impedit ultimam, & veram inſiti in inſito alimenti alterationem & diſpoſitionem. Veluti diſpoſitio lactis caprini in mammis capræ ad hœdum non impedit ultimam alimẽti hominis hoc lacte viventis diſpoſitionem: Quod alimentum eſt ſemper quid indifferens, quatenus in partes nutriendas convertatur, hisq; ſimile fiat, modo partes alimento, in actione alterationis ſint fortiores, ad ſubigendum alimentum: Alioquin patiuntur partes, ab alimento, & vincuntur & deſtruuntur: veluti aſſolet fieri venenatorum alimentorum, & deleteriorum ſuctu, quo homines, bruta, & plantæ ipſæ, moriuntur. Qua potiſſimum de cauſa, cum arcanum minerale, ſeu ſpiritus crudi, & incocti, mineralium omnium fortiſſimi ſint, & omnia fere mundi viventia hiſce ſpiritibus, morti & corruptioni tradi poſſint: ut potiſſimum arbores & ſegetes: ut ſingulis fere annis verno tempore patet, in quo emiſſi ſpiritus minerales per Archæum natura, ad ſuperficiem naturæ, aurora reſpirante terram, & ſulphuream memphitem arbores & plantas ac ſegetes enecant. Ad arcana prædicta rite paranda, conſulo & cenſeo, non his eſſe utendum crudis hoc eſt impuris, ſed coctis & dulcibus, & valde purificatis ſpiritibus: cùm autem horum ſpirituũ coctio, longa & tædioſa ſint, mittẽdos potius, & linquendos exiſtimarem quam aligẽdos, ad plantarum animaliumque arcana paranda, & agendi virtute multiplicanda. Veruntamen veritati antiquorum chymicorum & authoritati eorundem conſonum eſt hoc opus modo coctis & dulcibus ſpiritibus fiat. Tutiorem tamen viam ſequentur

Arbores unde vere & plantæ aliæ & ſegetes moriantur.

tur chymici, qui ſimilia ſimilibus nutrient, & multiplicabunt & multiplicant, & unicuique ſpiritus regno cuique peculiari alimento, conſervant, ſpiritus minerales mineralibus miſcent. Sic enim eadem arcana, & effectus poſſunt pari ratione parari, ex lapide auri & argenti ad aurum, & argentum, puteis, fontibus, fluminibus, marisque profundo defoſſum in altum attrahendum, & præcipuè ad ſcintillulas auri, & argenti aquarum fluctibus ex mineris propriis raptim delapſas, & arenis immixtas in unum liberum conglobandas acervum. Mira alia quamplurima, ſimili methodo, ex omnibus mundi mirabilibus, à chymico prudenti, & ingenioſo confici poſſunt, & ex dictis hoc capitulo, facilè excogitari. Quamobrem hæc ſuſtinere mihi viſum eſt, ut ſequentibus, cum ſumma chymicorum benevolentia, & amicitia penſim abſolvere valeam.

Arcanum ad aurum & argentū ex quo cujusque loco attrahendum.

CAP. VI.

De Putrefactione in genere.

Putrefactionis varia nomina.

PUtrefactio quam alii inhumationem, alii mortificationem, diviſionem elementorum quamplurimi chymicorum dixere, in genere nihil aliud eſt, quàm partium eterogenearum, caloris ope, corruptio, aut humidi radicalis, à partibus eterogeneis infixi ſeparatione à fixo radicali humido, eterogenearum partium eo in corpore corruptio & mortificatio, agente calore: vel eſt partium à quibus ſeparatur ſpiritus & anima, ex elementorum reſolutione arte pyreuſnica mortificatio, non poteſt enim ſeparari ſpiritus crudus & infixus à corpore, quin partes, quæ replentur illo ſpiritu crudo & infixo, moriantur, & corrumpantur, veluti ſpiritus animalis corporis, dum à membris aliquibus ſeparatur

Putrefactio quid.

tur membrum statim moritur & sphacelatur, caroque mortua à vivaci sejungitur. Apparent autem mortuæ partes, à quibus separatus est spiritus infixus & anima volatilis, nigræ, quarum partibus micant & scintillant, aliæ partes vivæ quorum spiritus & anima nihil volatilis habent. At terrei cujusdam luti albissimi, quod fusionē facilem & promptam impedit, quod quidem lotionibus frequentibus & calcinationibus, seu desiccationibus una cum partibus nigris mortuis, separandum est à lucido illo & micanti, facileq; fluenti, donec in summa claritate quiescat illud fixum terreum scintillans, quod omne philosophi annuerunt, cùm à sole eorum umbram demere & abstrahere jusserint terreum illud nigrum, & album non fusibile nec aquâ permiscibile seu solubile, umbram dixere, quod corporis micantis seu solis & lunæ splendorem obumbret: ideò enim jusserūt philosophi chymici putrefactionem, eamque veluti operis principium, & fundamentum commendarunt filiis artis, quod ea spiritus crudus & anima volatilis, seu ut uno nomine hæc ambo complectar, mercurius incoctus, à partibus crudis & terreis, ignis beneficio separetur: absque enim tali separatione lapis physicus, seu corpus minerale, quod tria tincturæ physicæ principia continet, non posset ad suam quam postulat perfectionem deduci artificio quovis alio, quòd impossibilis esset elementorum separatio, eorumque omnium seorsim purificatio, hinc unio vera esset etiam impossibilis: heterogeneum enim admixtio veram & firmam homogeneorum impedit unionem: quæ enim verè uniuntur, immediatè se tangant necesse est. Quamdiu autem heterogenea adsunt admixta homogeneis hoc impediunt, tandiuque unionem retardant, perfectumque fieri

Vmbra quid apud chymicos.

Putrefactio quare in Alchymia utilis.

Vnio vera à quibus impediatur.

F mi-

mixtum. Non ſecus ex ſemine humano & anima per creationẽ infuſa, & corpori perfectè diſpoſito, immiſſa non poteſt, quamvis ex præſtantiſſimis rerum omnium ſuarum materiis, perfectum, firmũ, & perpetuum conſtituere mixtum, quin tandem materiæ ipſius vitio, ipſummet corrumpatur & labatur: Quod in principio mixtionis & unionis ambæ partes integrantes ut chymia notat, vitio originali coinquinatæ fuerint. Quod veram & perfectã unionem impedit, & inde perennitatem, ſeu mixtionis firmitatem vitæque ſanæ fœlicitatem retardat, donec partes integrantes, cœleſtis & elementaris quæ ſunt anima rationalis & corpus humanum ab omnibus ſuis maculis & ſpurcitiis morte & divina gratia liberentur, tunc enim temporis, poſt eorum omnium ſeorſim purgatione firma unione & perenni, in reſurrectione copulabuntur, unumque fient perfectum & perenne.

Vitæ perennitas à quibus impediatur.

Mors naturalis ad fœlicitatẽ æternam habẽdam.

Si verò anima ſuis conſpurcata vitiis ſeparetur à corpore, & ita maneat maculata, quamvis corpus purgetur morte, & putrefactione, in reſurrectione, non felici illo beatorum vinculo corpori ſuo connectetur, ſed in perennibus detinebitur miſeriis, & ærumnis, cum infinita macula ex infinita culpa nunquam deleri poſſit, hinc infinitam etiam pœnam mereatur, infinita autem culpa eſt ex infinito læſo, nempe Deo. Unde arcanum hoc phyſicum mirabile & miſticum præ ſe fert hujus & alterius futuræ vitæ ſymbolum: ut enim chymicus puram putam purgationem rerum omnium radicalium, quæ mixta componunt celebrare tenetur, legibus naturæ congruam, & idoneam, ad hoc arcanum, ex natura obtinendum. Sic Chriſtianus ad vitam æternam obtinendam, felicitatisque perennis, perennes delibandos futuræ vitæ fructus, puram putã

Cur pœnæ damnatorum æternæ ſint.

Similitudo inter methodũ conficiendi la-

tam

tam animæ, quam corporis sui purgationem, peragere cogitur. Sicut absque sale minerali illo puro puto, ab omnibus heterogeneis vindicato, & suo spiritu, arcanum tātum habere minimè possumus, neq; pariter vitam æternam possidere, ejusq; quiete frui, absq; Christi Apostolis ejusq; vicariis, qui ab ipso Christo sal terræ suæ dicti sunt, simulq; eorum omnium doctrina, quæ ab ipso Spiritu sancto emanat, quorum simul ope & auxilio Deus hominibus sua hæc æterna otia, amore concedit. Itaque prudēti sagaciq; mentis agitatione perpendat physicus chymicus, quid Christiano conferat mors, ex ea enim morte vitam habet fœliciorem, & quid in morte ipsâ patiatur, ut hinc similitudine desumpta, agendi materia arcani sui, colligat, morte enim omnia mixta dissolvuntur in sua elementa & principia, non tamen simplicia, sed in hæc ex quibus immediatè compacta fuerunt, in humidum scilicet & siccum, quod quidem humidum nō simplex est, sed & compositum, & siccum itidem: in humido latet aëreum quid & igneum & in sicco terreū & aquosum: ex quorū unione & harmonia resultat unitas mixti, ex discordia verò pluralitas: hoc in omnibus rebus singulis diebus cernere licet, dū putrescunt, veluti pomum, pyrum, caro, lignum, & reliqua dū putrescere incipiunt, eorū omnium substantia firma & dura, secundum mixti naturam, in substantiam mollem, humidam, viscosam, tenacem cōvertitur, quæ pedetentim evanescente humido, visCoso & tenaci humore, in pulverem siccum & terreum desinit, in quibus quod purum est, salis redolens essentiam, principium & elementum allerunt chymici, quod proxime & immediatè, unumquodq; mixtum his componatur, & sensu percipiatur. Volunt autem omnes chymici, ut physici sensuales,

pidū, & officiū Christiani.

In morte qua ratione omnia dissolvantur.

Principia chymica

Sensu percipi necesse est. ſuales, eorum principia & elementa ſenſu percipi poſſe: Quæ tamen conditio veris & primis naturæ principiis denegatur, cùm hæc ſolo intellectu, & mente ſimpliciter cognoſcantur. Habet unaquæque ars & ſcientia ſuos peculiares loquendi terminos, quibus uti permittitur, absque calumnia. Habet Alchymia tria rerum omnium principia, quæ peripateticè loquendo non ſunt vera principia, ſi principia ſimplicia ſint: cùm hæc tria ſint compoſita ex quatuor elementis, eorum enim ſal, etſi ſal vulgi non ſit, ex primis quatuor elementis conflatur: itidem eorum mercurius & ſulphur, & hæc tria unum ſunt: attamen cùm ſint ſeparata, varia ſortiuntur nomina, propter qualitatem aliquam in uno intenſiùs dominantem, quam in alio, exempli gratia: illud ex tribus principiis illis, quibus mixta componuntur, ſali tribuunt, quòd frigiditate & ſiccitate manifeſta, tactu ipſo deprehenſa, alia duo ſuperat principia, quamvis in occulto calidum & humidum ſit. Quòd vero frigiditate & humiditate in manifeſto alia vincit, mercurio donant etſi calidum & ſiccum in occulto. Quod item caliditate & ſiccitate, actu ipſo alia antecellit, ſulphuris nomine inſigniunt, quamvis oculis ipſis aqua ſit ponderoſa & oleum. Hæc autem tria dum unum ſunt, prima naturæ ipſius unione non poſſunt hiſce qualitatibus intentiſſimè ornari & frui, quibus ex natura ſua donari debent, quod excrementis multis ſcateant, quibus impediuntur. Ideò diſſolutione, id eſt mortificatione, putrefactione & ſeparatione indigeant, ut hinc arte ſeparatim purificata, ab illis excrementis, qualitates habeant ut decet eorum naturam intenſas. Quæ dum iterum ſecunda unione vinciuntur, unum oritur, multò priore fortiùs: ſic poſtquam granum tritici, pyri, pomi, & alio-

Principia chymica non verè ſunt principia, & qua ratione.

Mercurius, ſal & ſulphur quid ſint apud chymicos.

aliorum omnium cadens in terram putrefactum fuerit, mortuum & corruptum, germinat, multaque producit, quæ per se absque putrefactione & corruptione producere non posset, hinc corruptio & putrefactio est vera causa generationis & multiplicationis, & suo modo æternitatis, modo corruptio non cadat in rerum substantiam radicalem, nam tunc temporis corrumpitur illud mixtum in quod tale accidit, & non generatur idem quod ex tali mixto, ante talem corruptionem generari decebat, & itidem hæc omnia similia semper producunt, modo tali, in productione, dissolvantur corruptione, quali affecta primitus fuerunt. Sic lolium ex tritico generatum semper lolium generat, sic homines in peccato nunc generantur, & in posterum generabuntur: quod primus parens noster Adam divinum transgrediendo mandatum, sua ipsamet prava voluntate corruptus fuerit: nec potest secundum legem ordinatam ullus oriri homo adeò sanctus & purus, quin peccati originalis sordibus esset obnoxius, nisi gratia divina & meritis Christi: non secus ac lolium quod nunquam mutaretur in triticum, nisi adveniret cœli spiritus cujus solius auxilio & ope, lolium iterum redit in triticum, quod in puro elementari lolii puncto, seu perpusillima materia, post putrefactionem lolii remaneant aliquæ dispositiones seu potentiæ ad triticum quas adaugens & fovens, spiritus seu radius alicujus constellationis, ad triticum peculiaris, statim natura illa pura, ex suo sinu, promit formam tritici: & sic triticum ex lolio, iterum generatur. Sic etiam & homines nefandi & scelerati postquā ex pœnitentia sacra, peccatorum & scelerum suorum corruptionem & mortificationem obtinuerunt, adveniente Spiritu sancto, divinoque amore,

Corruptio cur causa generationis, & suo modo æternitatis.

Ex homine peccatore sanctus nō posset nasci nisi Christus fuisset.

Loliū quo modo generetur ex tritico, & qua ratione fiat iterùm triticum.

deperditas & marceſcentes veri hominis in peccatore ſcintillas fovente & illuminante, in homines veros, ſanctos, pios, deosq; mutantur, fructus dulces in hac miſeriarum valle, totius humanæ naturę, utilitati & commodo, producentes. Perſeverant autem in tali diſpoſitione ſancta & ſacra cũ timore & periculo Sancti quique, nam in ſceleratos iterum poſſunt mutari, ſi Spiritus ſanctus ab his ſejungatur: præſto enim aderit malus ſpiritus, hominemque ſceleratum reddet, ſuo ductu & comitatu, ab ſpiritibus enim eorum nempè miſterio omnia fiunt & conſervantur, & ut unicuique rei corporeæ datus eſt ſpiritus qui hæc ſingula foveat & cõſervet exteriùs, ſic & interiùs datus eſt ſpiritus elementaris, qui eſt tenuiſſima ſubſtantia igne potens, quæ intrinſecus conſervat omnia & ſingula à corruptione, quamdiuque conſervatur ſpiritus ille internus, tamdiu & conſervatur individuum in ſuo eſſe, germinanti, pullulanti & multiplicanti. Si verò abſint tales ſpiritus proprii & innati, & adveniant alii, & dominentur corpori, mutant omnino corpus & è bono in pejus, aut è pejori in optimum convertunt, ſecundum ſpirituum qualitates & eſſentias: donec adveniat ultima mixti corruptio, in qua ſpiritus, formam ſuam, in ſuum ducit chaos, ex quo ortus eſt ſpiritus, formæ comes, corporisque prioris conſervator. Cùm verò homo totius mundi ſymbolum forma conſtet immortali, nec è materia elementari educta, ſed à Deo ſolo creata, à qua liberè regitur & gubernatur, (non ſecus ac natura ad ipſius Dei nutum) ſpiritibus etiam eget ut hic analogiam quandam inveniamus ad actiones ſuas peragendas. Si malo utatur ſpiritu & nefando, male nefandeque aget, ſi verò ſancto & pio, ſancte itidem & pie. In ultima autem corporis diſſolutio-

Sancti & pii ſeparatione poſsēt fieri ſcelerati.

S. Thomas Tract. de Ang.

olutione, in qua omnium in suum genus fontemque reducuntur, sequetur spiritum quo usa est, ad actiones peragendas: si pio, sancto & cœlesti, ad pios sanctos, & cœlum ibit: si verò malo, impio & infero, ad malas, impias & inferas detrudetur abyssos: cùm verò hi loci & locati contrarii sint, contrariorum etiam sortes subire necesse est: ut cœlo lumen adest, ita abysso tenebræ: ut cœlicolæ omni & perpetuo bonorum genere & copia fruuntur, ita abyssicolæ omni & perenni malorum omnium æquore submergentur.

Omnia spiritus suos sequuntur in morte.

Cur dãnati miseriis afficiãtur.

Statutum ergo sit ratum & firmum, omne compositũ qualecunq; sit, ut perficiatur, morti tradendum esse, ut ea purũ naturæ uniuscujusq; ab omni suo eterogeneo vindicetur. Quòd si id in singulis naturæ mixtis, tanquam ejusdem naturæ parvis mundis, à chymicis observatum est, in tota etiam pari modo, & universa natura idem observare licebit, cùm partes ejus mixtæ & unitæ sint ad integritatem illius, hoc est ut tandem natura quiescat, & ad æternitatem ad quam summis viribus tendit, perveniat: eandem etiam naturam mori oportere, quod cõtinget in conflagratione generali hujusce mundi. Quæ vera mors & putrefactio totius naturæ erit, in qua tunc perfectè purum illud, uniuscujusque partis mundi istius integrantis separabitur ab impuro: puro generi suo in æternum indissolubili vinculo divina potentia copulato, impuro verò ad abyssum detruso, necessitate legis divinæ plus æquo justæ. Quemadmodum enim Deus æternus & immutabilis & incorruptibilis, ita sua bonitate decrevit, sua opera etiam, quæ alias perpetuæ corruptioni subjacent puta elementa, æternitate, immutabilitate & incorruptibilitate tandem aliqua frui & gaudere, quæ tamen se, ab illo independen-

Lullius in theoria.

In conflagratione mundi natura pura fiet.

pendenter æterno, in æternum dependere fateantur. Quòd si Deus mortem & corruptionem in operibus suis in multa secula passus est, hoc est ad primi Parentis totius naturæ coryphæi culpæ vindictam: misertus tamen tandem hominibus piis infinito suæ gloriæ triumpho hos omnes afficiens, purum suum ab impuro calcinatione sua illa solemni & generali, elementorum omnium combustione separabit: purumque puro junget, hoc est animam ipsam rationabilem purissimam ab omni macula vindicatam purissimo corpori. Ex eorumque unione secunda unum consurget in perpetuas æternitates durabile & beatum: impurum verò impuro ex quibus consurget unum in æternum cruciabile, nam Deus respuet illud, non secus ac spagyrici philosophi respuunt feces & amurcam tincturæ eorum. Hæc ita dicta sint ut perpendant omnes rationis compotes, quid possit Alchymia, ad mentem humanam divinis suis potiùs quàm naturalibus operibus Deo suo conjungendam: fœlix ergo cui hæc munera à Deo data sunt, creditque naturæ miracula, & in his operari toto vitæ suæ curriculo non dedignatur, etsi labor improbus in his impendat. Sunt qui philosophiæ, qui jurisprudentiæ, medicinæ, mathematicis disciplinis, annos vitæ totos impendunt, ut mediocrem hinc vitæ usuram capiant: At Alchymiæ quæ ditissimum, doctissimum, laudeque plenissimum efficere potest, nemo studet: imò omnes & doctiores irrident & naso suspendunt adunco, & quem doctissimum putant modo chymicum sciant, ludibrio habent, & mania detentum esse credunt, quod naturæ possibilitatē non credant, quod artifices ferè omnes pauperrimos cernant: At hinc desumi non meretur artis calumnia, sed artificis inscitia, nam Deum ipsum testari

Judicium Dei cur futurum.

Hyppocr. lib. de morbo sacro. in verū Christianum sapit.

Alchymia veri Dei & naturæ vitæ dat cognitionem.

Alchymia sanctū, piū & doctum & divitem reddit hominem.

stari

ſtari poſſum huic arti nihil ferè pecuniarum impendiſſe, ſecreta penitiſſima inveniſſe, ſtudendo, meditando & tandem operando, ſingulis annis in ipſa operatione nummos decem aureos, aut minus potiùs, quàm aliquid aliud majus, diſperdiſſe. Credat quisquis voluerit, aut abeat ſaltem ſine calumnia in chymicos, canesque ruſticorum ne imitetur, qui fructus terræ non guſtant, nec alios guſtare permittunt: vulpique æſopicæ ſimilis, qui dum racemos maturiſſimos, dulciſſimosque ſurripere præ altitudine nequibat, acerrimos cæteris prædicabat.

Author quam methodo arcana chymica noverit.

Difficilis certè hæc eſt ars, & omnino laborioſa, peritum, doctum & patientem expoſtulat artificẽ, non enim illico creſæis fruetur opibus, nec heſperidum pomis, herculeos ſufferre labores priùs convenit, annisque quamplurimis absque fructu operari, antequam aureum vellus ſurripere poſſit. Tredecim ego annis operatus ſum, nihilque potui perfectum & firmum invenire. A pueritia ipſa naturali quodam inſtinctu coactus, artem hanc ſuſcepi, & nunquam potui etiam ex induſtria vir factus, relinquere ſuadentibus ita parentibus meis & conſanguineis, & omnibus amicis. Natus ſum philochymicus, & talem certè me profiteri non vereor, tandemque ſpero honorem hinc ſummum conſequi & laudem, Deus cœptæ ſecundet & foveat, animumque non mutet, amoremq; naturæ cognoſcendæ hiſce artis operibus compleat: mea ſorte contentus ſum: Chymicus mori ſummopere cupio: non tantùm divitias hac arte quæro, ſed naturæ miracula, quibus potiſſimùm inhio: ut Dei mirabilem in natura potentiam hiſce cancellis cernere, venerarique poſſim: ſic hominum omnium cõmunis ſciendi cupiditas, & deſiderium in me repleatur

Difficultas quam maxima eſt in obtinendis Alchymiæ arcanis.

Amor & ſtudiũ authoris erga chymicam artem.

pleatur chymicis aquis & terris & eorundem oleis iterum accendatur, ne in labore deficiam, donec & deficiat anima corpori: Quod qua ratione ex vitio naturæ fiet, fit & factum est, capitulis sequentibus clarissimè demonstrabitur.

CAP. VII.

De Putrefactione Vegetantium.

Aristoteles in physica.

CONtraria contrariis opposita magis elucescũt; ideò vegetantium putrefactionem & corruptionem perfectissimè neminem capere posse facilè crediderim, quin ortum, vitam & conservationem vegetantium exposuerim. Ortus ergo, vita, & conservatio vegetantium est formæ eorum omniũ ex potentia materiæ eductæ in eadem materia disposita radicatio morans & ad tempus permanens, vel est humidi radicalis vegetantium harmonia permanens & persistens: hinc corruptio & putrefactio definiri poterit eorundem formæ ex potentia materiæ rite dispositæ, eductæ, & in eadem materia radicatæ extinctio. Id omne oculis uniuscujusque quotidie objicitur. Unde autem id oriatur, quæque sit vera, præcipua & proxima causa, paucis cognitum est. Id enim communi omnium philosophorum sensu, ab elementis invicem pugnantibus oriri, certum statuitur, at id nimis confusum est & obscurum, nisi aliter & commodiùs, & dilucidiùs explicetur. Nam elementa ad invicem pacaci concordia ligata, solutionem non quærunt, quatenus ligata sunt, eorumque dissolutio quaqua ratione fiat præter naturam est; alioquin unum & idem suam quæreret & optaret destructioné. Concurrunt quidem ad destructionem, sed non ut sunt partes essentiales & formales mixti, quod destruitur, sed ut sunt partes præter naturam mixti, ut in febrien-

Ortus, vita generatio & conservatio & mors quid sint.

Generatio ab elementis intellectu est obscura.

Nihil sui mortem quærit.

febrientibus apparet, calor febrilis mixtũ destruens non est essentialis & formalis mixto morituro, sed est calor præter naturam, deforis adveniens mixto. Illud autem extraneum ex quo elementa prodeunt contraria, ut mixtum corrumpant, est excrementum, quod in dies congeritur. Natura enim vegetantium permanere diu non potest quin nutriatur, nutriri autem non potest, nisi simili, non autem potest illud simile attrahere ad sui nutritionem, quin una cum simili, dissimile attrahat, imò omne quod attrahit ad sui nutritionem dissimile est, antequam qualitates infringantur dissimiles à qualitatibus mixti, quod fieri non potest, absque actione perenni, quæ tandem lapsu temporis, ut debilis fiat necesse est, & tunc vincatur à dissimili, à quo mors, natura seu anima mundi in vegetantibus, ac in aliis incorruptibilis, purissimum mixti corpus occupans, in eoque gaudens, cum multis infarctum excrementis sentit, his semper, hoc expoliare, nisu quodam naturali tendit, & per insensibilem transpirationem, aut per certam & evidentem evacuationem foras emandat, quod dum agere potis est, nõ patitur ullam naturæ mutationem, sed adeò pure & nitide id agere minime potest, quin semper aliquid excrementi remaneat, quod præ minima ejus quantitate, minimam habet agendi facultatem, quam omnino negligit natura, & eam vincit, donec copia vincat & naturæ rebellis fiat, tuncque magnum indicat naturæ duellum, statutoque die & hora invicem mutuam agrediuntur pugnam, & qualitatibus suis, tanquam gladiis inter se digladiantur, dum natura cedat excrementis, cedit autem ex debilitate elementorum quibus continetur: fiunt autem debilia quia in perpetuo sunt motu, quo pedetentim

Elementa qua ratione concurrant ad destructionẽ sui.

Calor præter naturã deforis est.

Mors est à dissimili per alimentum attracto.

Anima mũdi substantiam quale.

Penotus in chymicis.

Excrementa qua ratione inducant mortem.

tim evanescunt. Sic etiam natura cum eis, & sic fit vegetantium & aliarum rerum corruptio elementorum pugna: non quod elementa ligata & unita inter se pugnent, sed quod elementa vegetantium inter se ligata, motu perpetuo moveantur, ad naturam vegetantis conservandam, in quo dum sunt motu, pedetentim evanescunt, in quorum loco adveniunt alia elementa, alia dico, quod æqualibus non polleant qualitatibus, inter quas fit pugna, & ex ea corruptio: At hanc non curant chymici putrefactionem, nisi in quantum ea, artificialis nostra corruptio excogitari potest, cum eadem methodo & ratione fieri debeat: adhibita tamen hæc differentia, quæ totum perficit, dum adest, aut destruit dum abest. Naturalis fit sub jove aperto, & ita spiritus & anima in mixtis vegetantibus latitantes dũ putrescunt in aërem evolant, in quo cùm infinitæ lateant animæ, & spiritus rerum omnium putrescentium, unà miscentur & fiunt aër, vel aqua, à quibus omnia iterum in terra aluntur, generantur & conservantur, & sic nunquam fit debita & exquisita rerum ab excrementis defæcatio, cùm locus in quo sit, sit semper impurus & sordidatus: unus tamen alio, majori scatet sorditie: & hinc etiam in uno loco clariores & puriores & pulchriores, quã in alio oriuntur rerum ejusdem speciei formæ, ex separatione excrementorum uniuscujusque partis componentis id causatur. Artificialis verò fit in vasis vitreis optimè tersis & nitidis, in quibus nihil aliud est contrarium, præter quàm excrementa, quæ mixtis ipsis latitant, & à quibus spiritus & animæ, non exhalant in apertum aërem, sed detenti januis clausis perquamoptime conservantur, donec in aqueam transeant substantiam, quæ ex vegetantibus omnibus levissimo calore extrahi potest, & multis

Corruptio quo modo inducatur.

Naturalis putrefactio, ab spiritibus evanescentibus fit.

Hi spiritus & animæ sunt Democriti atomi qui invisibiles cùm sint tamen omnia constant.

Cur in uno loco quam in alio pulchriores oriãtur res.

Artificialis ubi fiat putrefactio.

multis variisque distillationibus, & supremum suũ puritatis terminum deduci, rejectis omnibus quæ non sapiunt ejus naturam & essentiam: & hæc purificatio animæ & spiritus, est eorundem putrefactio, quia partes à quibus separantur vere mortuæ jacent, absque ulla virtute & efficacia mixti, quod antea componebant. Quæ quidem partes terreæ omnino & fixæ, salis substantiam redolentes, etiam purificandæ veniunt & separandæ ab aliis partibus, quæ salis non sapiunt essentiam, quæ quidem etiã partes terræ, dum hanc separationem patiuntur, ultimam etiam patiuntur putrefactionem & mortẽ. In his enim tunc temporis, nihil vitæ latet, nec actu nec potentia, & sunt mors & peccatum mixtorum in quibus reperiuntur, separantur autem igne & aqua: igne calcinando, aqua abluendo, dissolvendo tantùm partes salis, aliis verò fundum aquæ petentibus, donec multæ appareant partes indissolubiles, sed sal totus dissolvatur aqua absque limpiditatis aquæ perturbatione, fitque sal siccus post evaporationes aquæ nitidus, pellucidus & clarus, cristalli propemodum similis, gratissimi odoris & flagrantissimi saporis, tunc sal ille vegetans, seu terrea vegetantis substantia, capax erit & sufficiens, aqueas, aëreas, & igneas ejusdem substantias suscipere, amplecti, & unum fixum & firmum, una cum illis æqualiter mortificatis constituere, de quorum omnium quatuor unione in calce hujus libri dicemus capitibus de coagulatione & fixione. Hanc enim putrefactionem seu potius coctionem quæ veram præcedit coagulationem, quæ assando, terendo & rigando fit, quousque partes commisceãtur insimul, & fiant unum, hoc capite complecti noluimus, sed tantum eam, quæ separationem elementorum, seu partium radicalium comitatur, cùm con-

Spiritus S. qua ratione putrescant.

Mors & peccatum mixtorum quale sit

Conditiones salis chymici.

Putrefactio multis totest accommodari operationibus.

Operationes chymicæ qua ratione confundatur.

confusè nimis ita scribendo artem nostram doceremus. Sufficiet nobis hac unica operatione tres cōplecti, calcinationem, separationem & ablutionem; cùm nō possimus calcinare, quin etiam separemus, abluamus & putrefaciamus, nec abluere quin calcinemus, separemus & putrefaciamus, nec putrefacere quin calcinemus, separemus & abluamus, & viceversâ omnium & singularium harum quatuor operationum una non potest esse sine alia, in vini compositione id evidentissimè patet: Primò calcātur maturæ uvæ, succusque exprimitur, vasisque vinariis una cum calcatis uvis ut ferveat reponitur: hoc fervore spiritus vini generatur aëreus, & ab humido aqueo differt, etsi permixta maneant: sal qui tartarus dicitur, pedetentim separatur, vasorumque fundum petit, & lateribus undiquaque eorum adhærescit, argenteis, vel potiùs cristallinis bracteolis micans, renitensque fervor ille musti putrefactio chymica dici potest, in qua cùm fiat spiritus æthereus, separationem complectetur, quia verò tartarus ea ipsa apparet nitidus & splendens, calcinationem & ablutionem etiam secum coercebit, non solùm in hoc uno vegetantium mixto, vino puta, hoc experiri licet, sed in omnibus aliis, modò succus eorum exprimatur, reponaturque vasis optimè clausis, ad digestionem levem ut ferveat, & nostro modo putrescat. Frigidi succi, hoc est, qui non copioso & abundanti constant spiritu, hi non fervent absque ope caloris artificialis: alii veluti sunt lupulorum succus, avenæ, hordei, tritici, pomorum, pyrorum, prunorum, cerasorum, salviæ, Roris marini, stœcados, menthæ, lavendulæ, foliorum pini, cupressi, lauri, aliorumque similium succus, per se fervent, nullo adjuvante calore externo, modo vasis aëneis, ferreis, stan-

Spiritus vini fervore vini generatur.

Tartarus in vino qua ratione generetur.

Ex omnib. vegetantibus potest extrahi spiritus ardens.

Spiritus qui nō fervent absq; ope caloris quales sint.

Spiritus æthereus seu aqua ardēs qua metho do extrahi

ſtanneis aut vitreis (quæ meliora omnibus ſunt, cæterisque præſtant, quod ſuccus qualiſcunque ſit, nihil è vitro contrahat) optimè recondantur, & ad tempus aliquod fermententur, donec ſpiritus æthereus factus ſit, quod odore percipitur fragranti, vehementi, ignemque redolenti, velut vini ſpiritus, & hujus propemodum ſimiles concipiunt omnes flammam, modo ab aqueo humido omni ſeparentur, quod levi caloris actione, in balneo tepidiſſimo obtinendum eſt. Aſcendit enim primò ſpiritus, ſecundò aqua, quæ phlegma dicitur, cujus uſus ad eluendas tartari feces, ſeu capitis mortui ſordes omnes, ultimò oleum quod ſummopere purificandum eſt, remanet terra mortua, absque ſpiritu & anima, hoc eſt aëreo humido, & igneo humido, ex qua ope humidi aquei extrahendum eſt, terreum, humidum, ſal puta, & ſummopere purificandum pariter ut & humidum aëreum, & humidum igneum, quæ tria & ſeparatim & conjunctim dum purificantur, putrefactionem patiuntur, hoc eſt corpora quibus latent, cùm partes multas heterogeneas habeant, ſecundùm illas putrefactionem ineunt. Nam ſecundum humidum aëreum, humidum igneum & terreum humidum, eam putrefactionem pati non poſſunt, niſi quatenus mutantur inter ſe, & fiant unum, ſed de hac putrefactione, nondum dicendum eſt, ad coagulationis capita eam relegamus, in quibus videbimus quo modo humidum aëreum, quod eſt ſpiritus, & humidum igneum quod eſt anima, fient terreum humidum, quod eſt ſal, corpus, terra, mater omnium elementorum, in qua omnia radicanda ſunt, & implantanda, ita ut redeant unde orta fuerint, ſed non pari eademque veſte, ſed æthera, & ſplendida omnino, absque ulla labe & macula, poſt purifi-

poſſit ex omnibus vegetantibus.

Villonovanus in Roſario.

Terra mortua quid apud chymicos.

Lullius in theoria.

Spiritus & anima & ſal in mixtis pro qua ſubſtantia haberi poſſint.

Terra chymica quid.

purificationem ſummam. Mira hæc ars eſt, omnia primò occidit & occiſa ſuo modo ſuſcitat: quod quidem opus quaſi divinum eſt, iisque quæ ſoli Deo competunt valdè accedens, unde etiam veluti divina eſt hæc ars operationum ſuarum altitudine & excellentia, ſublimis & excellentiſſima, nam ea quæ vitam, hoc eſt eſſe, habent ab operationibus chymicis perdurationem ſummam conſequuntur, & corruptioni obnoxia minimè ſunt, comparativè reſpectu aliarum rerum elementarium, quæ leviſſima alteratione corrumpuntur & mutantur. Fremet hic tota philoſophantium communis vulgariſque phalanx atque turba, hanc ideò artem impoſſibilem & vanam eſſe aſſerens, quod reſurrectionem rerum poſſibilem & materialem admittat, quam támen Deus ut ſupernaturalem Chriſtianis omnibus fide credendam mandavit, ſpiritu divino ſuo, ſeu Eccleſia ſua unica Apoſtolica Romana. Sciant tamen illi omnes pſeudophiloſophi (cùm naturam nunquam cognoverint) me reſurrectionem humanam ſupernaturalem planè fateri, & ſolo fidei lumine cognitam, quod humana natura ſeu forma nullo modo ab elementis in ſua productione dependeat, ſed à ſolo Deo per creationem, originem habeat, unde cùm ſeparatur ab elementis quibus divinitus infuſione unita eſt, ejus iterùm demiſſionem ſupernaturalem eſſe neceſſe ſit.

Al hymia cur di. ina.

Imago reſurrectionis reperitur in chymicis operibus.

Reſurrectio cur ſupernaturalis.

At in chymicis operationibus accidentalem mutationem & alterationem formis illæſis permanentibus laudāt omnes ſpagyricæ artis magiſtri, omnibusque philochymicis præcipiunt, ut ea operationes omnes chymicas peragere poſſint. Sic elementa depurantur, perficiuntur & vegetant, ita ut formæ eorum deinde activiores ſint, cùm & inſtrumenta quibus formæ agunt, qualitates puta, ſubtiliores ſint

Formæ entium non rationalium qua ratione poſſunt

ſint & ad agendum promptiores. Hanc autem novam agendi activitatem, reſurrectionem & vitam novam dicunt Spagyrici: Quòd ſi hanc non admittant philoſophi omnes; philoſophi nomine non dignantur.

conſervari in mixtu. Reſurrectio qualis apud chymicos.

Dum ſic alterantur elementa in mixtis, aut mixta ipſa (vt clariùs loquar) quod enim tractant, & ſeparant ex mixtis; ſuis operationibus, non elementum ſimplex eſt, vt iam prænouimus, ſed eſt ſubſtantia compoſita, mixto in primo ſui ortu naturaliter indita; ad ſui conſeruationem & propagationem, mori dicuntur, cùm tamen verè non moriantur: formæ enim nunquam ſua linquunt elementa, ſed vnà cum elementis ſeparantur, & in eorum centro quieſcunt imperceptibiles, quod capite ſequenti faciliùs & clariùs intelligetur.

Elementa chymica qualia.

Forma elementorum ubi quieſcunt.

CAP. VIII.
De Putrefactione Animantium.

Animantia omnia præter hominem, ex hyleo elementari corpore ſunt, nihilque in his ipſis reperitur quod non ex hyle ortum habeat, unde etiam quicquid in his reperitur, alterabile & mutabile eſt. Per hyle intelligo elementorum omnium ſubtile confuſè mixtum, quod naturam hujusce mundi conſtituit, quæ eſt anima ipſorum elementorum: & forma & anima totius mundi appellatur, cujus ope & amicitia, cooperante divina voluntate, anima humana retinetur & ligatur cum corpore elementari, à cujus natura & eſſentia toto cœlo differt, cujus differentiæ cauſa, miror quo pacto, eoque amico vinculo uniri poſſint, cùm diſſentanea inter ſe uniri non poſſint, quin priùs alterentur, ut videre eſt in elemẽtorum mixtione & unione, quorum qualitates contrariæ, niſi alterentur impe-

Trimegiſt. Animantia ex hyle ſunt.

Hyle quid.

Hyle & anima mũdi idem. Anima humana ab hyle differt.

Anima rationalis qua ratione poſſis

uniri corpori nõ datur physica ratio.

impediunt unionem. Anima autem humana inalterabilis est, ejusque qualitates non respõdent qualitatibus elementorum. Desino autem mirari, cùm fide sciam omnia ex uno Deo procedere, & creata fuisse. Unde non implicat ea omnia, eo ipso Deo, quamvis contraria appareant uniri posse: cùm & Deus ipse homo factus sit, sua propria voluntate, & summo majoriq; maximo erga nos amore. Túcque omnia unum facta sunt: Tres enim sunt naturæ in unomet Christo, divina scilicet & humana, per quam animam intelligo, & elemẽtaris, per q̃uã intelligo corpus humanum (propriè enim duæ tantum naturæ completæ in Christo sunt divina scil. & humana.) At sumendo Naturam divinam, animam intellectualem & corpus, tres istæ naturæ mundos omnes constituunt: sub cœlestem quo corpora, cœlestem, quo spiritus immortales, creatos, supercœlestem seu idealem quo Deum denotamus, & sunt hæc trianguli Platonici illius sacri, à cujus centro omnia ortum habuerunt & in quod omnia tendunt effigies & simulachrum: & hæ omnes trinæ naturæ, trino gaudent numero: divina trinis constituitur personis, humana trinis perficitur potentiis principalibus, memoria, mente & voluntate. Elementaris verò natura, trinis etiam constat principiis seu naturis, anima, spiritu & corpore, & ut chymicè adhuc loquar, sulphure, sale & mercurio, & secundùm Peripateticos philosophos, materia, forma & potentia. Unde divinâ Prudentiâ factum est omnia similitudine sui ipsius, cujus gratia facta sunt trino constitui numero, & ut in Deo non differunt essentialiter tres Personæ, ut unum in essentia existunt, ita quod chymici in natura elementari animam dicunt spiritum & corpus, hæc tria, in rei substantia idem sunt, & corpora sunt

Omnes naturæ in Christo divinitus unitæ.

Omnia trino gaudẽt numero.

Supernaturalia nihil habent dissentaneum à se ipso.

ſunt tenuitate tantùm differentia,& ratione excrementorum,quorum ſolum gratia, earum ſubſtantiarum unio,perpetua & fixa non eſt, ut multoties nos ipſi experti fuimus operibus chymicis excrementa quæ in mixtis reperiuntur, cauſam ſolã eſſe mortis & putrefactionis. Separatis enim his, & ab illis trinis ſubſtantiis ritè expulſis, trinæ illæ ſubſtantiæ iterum unitæ & conjunctæ, unum iterum fiunt præcedenti multo durabiliùs, imò quid penè immortale, & ab elementis incorruptibile & inalterabile. Cùm igitur ab excrementorum ſeparatione durabilitas,& ævi perennitas naturæ elementaris dependeat, hoc capite ſeparationem illam putrefactione docemus,in animantibus omnibus, ſimili methodo, ac in vegetantibus demonſtratum eſt ſuperiori capite. Quam methodum cùm ſimilis & eadem ſit, non iterum hic referam, ne actum ſic agere videar. De rebus autem quæ in animantibus ſeparari debent tam heterogeneis quàm homogeneis erit ſermo. De homine verò propter animam ſuam divinam ex vita & luce ſui [illegible]minis non ortã, in calce hujus capitis peculiare erit eloquium Animantia omnia bruta trinas habent ſecum ſubſtantias,quarum unione conſtant, ut dictum eſt: animam puta,ſpiritum & corpus, hæ omnes ſubſtantiæ, ut ab excrementis quibus naturaliter ſcatent vindicentur,putrefiant neceſſe eſt:ut autẽ putrefiãt ſeparatio earum à ſe invicem neceſſaria eſt. Putrefactio enim fieri non poteſt,quin earum unio diſſolvatur, cujus diſſolutio ſeparatio eſt & igne fit, ſimili & eodem, quo in vegetantibus actum eſt, diſtillatione enim perficitur: intelligant hic Peripatetici omnes me non abſurda proferre, cùm animas viventium brutorum diſtillari poſſe aſſeram. Per animam humidum radicale igneum intelligo,

Anima, ſpiritus & corpus in chymicis, idem ſunt.

Perennitas ſeu durabilitas ævi unde in mixtis.

Mercurius in Pymandro.

Animalia trinis conſtant ſubſtantiis & quibus.

Ad putrefactionem quid ſit neceſſarium.

Quid per animam.

in brutis in i igatur ut ea ani.. a distillari possit, & per spiritum.

Anima quid chymici & peripatetici.

per spiritum verò humidum radicale aëreum, illi verò per animam intelligunt actum illius humidi radicalis, unde illi definiunt animam actum primũ corporis naturalis potentia vitam habentis, nos verò substantiam quintam ex elementorum omnium tenui & subtili conflatam, cui subtile ignis, & aëris prædominatur, ex qua substantia actus ille procedit, quem animam dicunt ultimam perfectionem Peripatetici: illam autem substantiam distillari posse non negant qui distillationis etiam artem non gnorunt & intelligunt: in illa autem distillatione actum illum evanescere, seu diminui, & occultari certum esse concedimus, substantia tantum illius actus remanente, in cujus centro virtualiter actus ille occultatur, ut manifestum fit, arcano sanguinis

Penotus de medicamẽtis chymicis.

& similibus chymicæ artis magisteriis, in quibus illud humidum radicale viget summè depuratum, quibus omnibus vita viventium summopere corroboratur, & mors longè propellitur, & morbi omnes profligantur, quod fieri non posse certum est, quin illam substantiam, quam arcanum dicimus, & magisterium & Elixir, vitam virtualiter intrinsecus seu actum, & animam suo modo habere simul concedamus qua alia anima fruetur, hoc est habere potentiam & vim illam, ex qua actus ille, qui anima dicitur, educitur, & cujus nexu anima rationalis in nostro corporis ergastulo retinetur, non enim actu, & re ipsa animam habere intelligimus sed virtute & potentia, cùm sit purum humidum radicale animalium, in quo animam residere virtute & energiâ, nemo unquam, tum philosophorum, tum medicorum negabit: imò philosophi spagyrici omnes substantiam illam igneam & ætheream, quæ in illo humido radicali reperitur, animã dixere, non quod anima sit, sed quod ex ea substantia

Arcana chymica animam habere qua ratione probari possit.

Anima anima fovetur.

Trimegist.

Anima in humido radicali continetur, nõ

tia

tia potiſſimum educatur, & in ea vigeat, floreat & gaudeat, qua ratione non immeritò, neque ſine mentis ſagaci lumine animam dixere ignem & æthera omnes primæ claſſis philoſophi, & mundum hunc animatum quod igne plenum viderent dixerunt, quos ſecutus mirus & divinus ſenex Hippocrates, idem teſtatur & credit libro περὶ τῶν ἀρχῶν his verbis: δοκέει δέ μοι ὃ καλέομεν θερμὸν, ἀθάνατόν τε εἶναι, καὶ νοεῖν πάντα καὶ ὁράειν, καὶ ἀκούειν, καὶ εἰδέναι πάντα καὶ τὰ ὄντα, καὶ τὰ μέλλοντα ἔσεσθαι. Quid poterat Hippocrates fidei noſtræ deſtitutus lumine, quam ſubſtantiam illam ſupradictam (in qua viget anima (tum brutorum & aliorum ratione ſuæ ſubſtantiæ, tum rationalis, propter nexum in corpore, animam dicere: Cùm adhuc in hoc ſæculo reperiantur Philoſophi Chriſtiani, verùm nomine tantum, qui philoſophis omnibus ſe doctiores putant, qui hebete plane ingenio, nedum agnoſcunt, qualem etiā plures è veteribus crediderunt immortalem puta, cuncta intelligentem, & videntem, & audientem & ſcientem omnia tum præſentia, tum futura, ſed mortalem & caducam. Noverunt ſaltem antiqui philoſophi ſubſtantiam illam ſupra citatam, quam ipſi poſteri, adhuc non ſciunt & agnoſcunt, quia falſo & temerario antiquorum ſcripta neſcio quo fato interpretantur, non enim intelligebant ipſi omnes actus & perfectiones illius ſubſtantiæ, immortales eſſe & divinas, ſed tantum ipſas quæ deforis divinitus ſubſtantię tali adveniebant, reliquas verò innatas & proprias ex ſinu materiæ eductas corruptibiles, mortales & mutabiles dixere, ſecundùm gradus perfectionis illius ſubſtantiæ: Anima enim brutorum & plantarum non eſt aliud quàm certus gradus perfectionis humidi radicalis, quem quæ obtinet perfectiorem & nitidiorem, perfectio-

tamen eſt humidum illud.

Anima cur dicta ignis & æther.

Animam rationalē ſentiunt antiqui immortalem.

Antiqui qua ratione interpretari poſſint de anima immortalitate.

Anima brutorum & plantarum quid.

Animam rationalē de foris ad venire corpori qua conjectura crediderut antiqui.

rem etiam & durabiliorem habet animam. Animā verò rationalem de foris advenire humido radicali, & non ex illo educi crediderunt, quod potentior & perfectior omnibus eſſet aliis, & quod aliarum animarum actus ſua præſentia extingueret, & perfectiores induceret, omnia ad metam & regulam ſui ipſius reducens, & quod etiam de æternitate & immortalitate diſſereret, quod futura præſagiret, quod præteritorum recordaretur. His rationibus & conjecturis eam deforis advenire neceſſarium eſſe concluſerunt, eamque in humidum radicale introduci, à potentia ſe ipſa potentiori & ſubliniori, à qua creando infundebatur in corpus ſuum, & infundendo creabatur, exiſtimarunt. Sicque Deum

Deum ex anima rationali noverunt antiqui.

calcellatim animæ rationalis creatione certo quodam modo cognoverunt. Id tamen ſimilibus verbis vulgo non proponebant, ſed fabulis, hieroglyphicis, ænigmatibus, & aliis loquendi antiquorum

Pierius in hieroglyphicis.

formulis, ut eorum ſapientia non omnibus nota fuiſſet, ſed ſapientibus, & his, quos virtus, & diſcēdi cupiditas ad naturæ arcana ſcrutanda evexerat: ut apud Platonem in Timæo cernere licet, ubi ferè

Plato in Timæo.

ſemper ænigmaticè loquitur de Deo & anima & mundo, ſub figuris & numeris mathematicis, quos qui rectè interpretari potuerit, veram ex iis, & noſtram Chriſtianam de anima immortali Theologiam, ſomathologiam, pſychilogiamque deſumet omnem: ubi enim triangulum & pyramidem ſua chymerina loquendi formula deſcribit, ibi Deum ſatis claris verbis expreſſit & faſſus eſt, & animam & mundum, & mundi energiam eadem figura complexus eſt. Energiticōs enim hæc omnia repræ-

Pyramis & triangulus quid indicent apud Platonem.

ſentat triangulus & pyramis: triangulus tribus cōſtat lineis æqualibus, & hæ lineæ ab uno prodeunt puncto indiviſibili, quod ſi hæ lineæ circa ſuū punctum

ctum rotentur & gyrentur, perfectum constituunt circulum undiquaque perfectum, figurarum omnium figuram maximam & capacissimã. In Deo jam si quis Christianus philosophus hæc omnia videre cupiat, facilè percipiet: in anima itidem, hæc enim unica in se, & sibi similis omni ex parte, tribus tantum ut diximus constituitur potentiis, quæ ab hac unica substantia promanant, tanquam lineæ ab uno puncto triangulum constituentes. Ut enim punctum absque illis lineis triangulum non constitueret, sic & eadem illa unica substantia, absque illis tribus potentiis, anima dici non posset. Idem de mundo asseri potest: cùm hic ab uno, trinis constituatur substantiis anima, spiritu & corpore. Unde patet hæc tria Deum, animam & mundum singula unica esse, & tamen trina, ut & triangulus unicus est in se, & tamen trinus: & sicut à puncto mathematico, omnes dependent lineæ & figuræ, qualescunque sint, & rotunda ipsamet figura, seu circulus cæterarum omnium figurarum pixis & arca, ortum à puncto ducit. Sic ab hac unica radicali substantia, quam infinitis penè nominibus supra nominavimus, omnes formę ducunt originem (aut huic inhærent) propter rationem animæ rationalis cùm ex ea substantia non educatur, & mundus ipse totus, omnia suo sinu coercens, veluti rerum omnium circulus certus & verus, ab unica per creationem ductus substantia, & hæc omnia, ab alia unica indivisibili & incorruptibili, immortali & æterna, omni ex parte substantia, quæ Deus est, ortũ habuerunt. Sic habetur trianguli sacri veterum Sophorum explicatio, hincque subolfacere possumus explicationem ænigmatis illius spagyrici dicentis: ex puncto fac triangulũ, ex triangulo quadrangulum, ex quadrangulo circulum, & habebis

Mundus cõstituitur anima, spiritu & corpore.

A puncto omnes figuræ dependent.

A mercurio dependẽt omnia & ipse mundus prioritate naturæ saltem.

Ænigma mathematicũ arcanum chymicum complectens.

magisterium, quod mathematicè fieri non facilè est, imò & ex nonnullis impossibile, spagyricè tamen facilimum est, ut visum est superiùs, & declaratum, dum ex unica substantia, trinas eduximus spiritum puta animam & corpus, & ex his tribus per purificationem & subtiliationem quatuor fecimus elementa & hæc quatuor iterum in unicam compegimus substantiam: Quod iterum repetemus passim in capitulis subsequentibus, & præsertim in his ubi de mineralibus erit sermo.

CAP. IX.

De Mineralium Putrefactione.

Per corruptionem in mineralib. quid chymicè intelligatur.

PEr corruptionem cùm intelligamus in mineralibus accidentalium formarum separationem, non extinctionem ut antea præmonuimus capite septimo, non est quod insurgant in hoc caput Peripatetici, mineralia quædam corrumpi non posse, propter siccitatem ingentem, quam secum originaliter habent, qua corruptioni resistunt, humidum enim quod est agens peculiare & proprium, corruptionem inducens, siccitatem mineralium quorundam dissolvere non potest & destruere, ut patet in sale, quod etsi perenni madefiat aqua, sive tepida sive gelida, nunquam corrumpitur. Id etiam in atramentis omnibus & calchantis experiri licet, at talem mineralium corruptionem, in hoc capite non intelligimus, quasi deforis adveniat illis, per humiditatem externam aqueam, sal intrinsecus per humiditatem seu substantiam aqueam, igneam, ab illis ipsis depromptam, distillationis ope, quæ quidem substantia siccitatem mineralium, seu corrumpit, sibique assimilat. Et ita patet spagyrica corruptione, formam mineralium cæterarumque rerum extingui, & annihilari non posse, sed potius

Cur sal & metalla nō corrumpantur.

Corruptio chymica nō fit per humiditatem externam, sed per humiditatē radicalem, nec per eā forma cor-

prius exaltari & sublimem fieri. Quod cùm fiat cum corruptione & annihilatione accidentium priorum,& adventu novorum accidentium, ideò in rerum arcanis peragendis corruptionem admittunt spagyrici,quam alterationem substantiæ dicere debemus,& corruptionem accidentium. Ut ergo alterationem illam substantiæ & corruptionem accidentium spagyricè peragere valeamus, cùm fieri debeat per eandem substantiam in mineralibus, itidem ac in cæteris omnibus peractum est. Quid sit & qualis sit ipsa substantia mineralium omniũ, prius inquirendum est, hac enim ignorata, totum ignoratur, quod quæritur arcanum: hoc quidem non artis est,sed naturæ opus,arte tamen, ad gradũ suæ perfectionis evectum operante intrinsecus natura,naturali sua forma & materia. Facessant ergo hinc omnes vanæ spagyricæ gloriæ turgidi Alchymistæ,qui asserunt cum diris votis populo ignaro, aurum se facere posse, & metalla omnia, itidem & lapides pretiosos omnes. Nam naturæ solius est opus, non hominis, potest quidem homo philosophus & chymicus materiam quandam spiritum auri metallicum sinu suo coercentem disponere,ex qua natura operante arcanum fit igneum, quo materia metallica cruda & incocta illico coquitur, & eatenus aurum fit: aurum enim nihil aliud est quã metallica substantia perfectissimè cocta, ab igne suæmetipsius substantiæ in visceribus terræ puris, & ab alia omni substantiali materia vindicatis, spiritu metallico puro & nitido turgidis & plenis, Hinc patet quantæ sit necessitatis mineralis substantiæ cognitio chymicis omnibus philosophis,ut omnes ad artem spectantes operationes rectè peragi possint Mineralium ergo omnium materia seu substantia, ex qua immediatè formantur, minera-

rumpũtur, & quid sit hæc corruptio.

Metallicæ substantiæ cognitionis necessitas, ad chymica arcana.

Aurũ qua ratione fieri possit & quando.

Substantia mineralis qualis.

lia omnia in viſceribus terræ, eſt unctuoſa quædam ſubſtantia glutinoſa & viſcoſa, non inflammabilis ex puro & ſubtili cujuſcunque elementi conflata, ſpiritu tantum minerali, (mineralium reſpectu & ratione) impregnata. Unctuoſa quidē illa ſubſtantia elementorum, non ſolùm mineralium omnium eſt prima & mediata materia, ſed animaliū omniū & plantarum, ab ſpiritibus tamen quibus imprægnatur, ſuſcipit differentiam. Videmus enim quòd ſingulis diebus plantæ fiant animalia, & animalia plantæ, dum ſibi invicem nutritioni & cibo quotidiano inſerviunt: tunc enim temporis abeunt ſpiritibus cibi peculiares & proprii & innati, & remanet ſolum illa ſubſtantia unctuoſa, viſcoſa & glutinoſa, & impregnatur ſpiritibus rei alēdæ, & fit materia propria & eadem cum materia rei nutritæ & proinde ultimum alimentum, quod ex Medicorū omnium conſenſu, materia eadem eſt, ac ea ex qua ſimus & naſcimur, quod ea immediatè & proximè nutriamur, ultimum autem illud alimentum, ſeu materiam proximā qua nutrimur eſſe unctuoſum illud, & glutinoſum & viſcoſum experientia ipſa comprobatur, & adhuc videre licet, ſi quis carnem recentem, nullo alio humore extraneo madefactā, ſed ſuo peculiari & innato delibutam, vaſi vitreo optimè obturato; impoſuerit, & in aquam ferventiſſimam per quatuor horas demerſerit, & ita coxerit, ut quod in erat poris carnis inviſibile ultimi alimenti, à carne coctione ſeparetur, & appareat ſubſtantia quædam flavi coloris, unctuoſa, glutinoſa, viſcoſa & non inflammabilis. Is inquam qui hæc egerit, teſtis oculatus mecum erit, rerum omnium ſubſtantiam primam talem eſſe, qualem depinximus. Si enim unica, & eadem nutriatur materia, & eadem fiet & conſtet: verum etiam eſt ut expe-

Ariſtoteles de generat. lib. 2. cap. 8.

Materia alimenti eadem eſt ac generationis.

Omnia ex uno conſtant.

experientiâ constat, ex eadem materia lapides animaliáque fieri, cùm in eodem homine reperiantur generata ex alimentis quibus fit homo. Quo pacto autem reperiantur spiritus animalium & mineralium in homine, ut ex materia eadem, animalia fiant & mineralia, alioquin enim fieri non possent, altissimæ est inquisitionis. Attamen scitur ex præcedenti capitulorum doctrina, spiritus rerum omnium in specie, incorruptibiles esse, sunt enim rerum omnium specierum conservatores, & sunt Democriticæ atomi, quæ ubique volant, & penetrant imperceptibiles, & dum inveniunt materiam non occupatam aliis spiritibus se fortioribus & potentioribus in agendo occupant illam, & impregnant, & mediante calore proprio & convenienti, ex hac copula fit animal, aut minerale tale, qualis fuerit spiritus, qui materiam occupavit, & id non solum in homine fieri potest, sed etiam in supremis, mediis & infimis aëris nostri regionibus: unde ceciderunt sæpissimè ex aëre in terram, cum pluvia & rore, animalia multi generis, metalla & mineralia, quod ibi spiritus animalium & mineralium ascenderant, una cum materiæ illius unctuosæ subtiliori portione. Hinc potest desumi ratio si verum sit, cur Equę impregnari possint absque coitu equorum, quod nempè fortè spiritus equini deferri possint ad vulvam equæ postulante & attrahente vulva, ibique semen equæ informare, & equum producere perfectum, absque corpore seminis equi crasso illo & visibili, quod ejicitur per coitum: nam spiritus subitò deferri potest, cũ subtiliori sui corporis parte, per attractionem vulvę in vulvam, quod eo casu sufficit ad equi productionem cum reliquis omnibus quę peraguntur à vulva Ratum ergo fit res omnes naturales qualescumq; sint, uni-

Aristoteles lib. citato eadem docet eodẽ capite.

Spiritus metallorũ causa generationis metallorum in homine.

Spiritus specierum conservatores.

Minerale & animal qua ratione fiant in homine & in aëru regione.

An equæ impregnari possint absque coitu equi.

Res omnes unam &

eādem originalē habent materiam, ab spiritibus tamen diversæ fiunt res.

Spiritus materiæ primæ cur creati diversi.

unicam & eandem omnibus communem habere materiam, ſpiritibus ſolis efformantibus in ſpecies diverſas, & diſtinctas diſtinctam: qui quidem ſpiritus educti fuerunt ex eadem ipſa materia inter ſe diſtincti & ſeparati ex velle divino, in inſtanti creationis ipſius materię, propter earundem ſpecierum diverſum ordinem, quem ſemper adhuc obſervant ſpiritus illi, ex mandato divino: germinet terra herbam virentem, & facientem ſemen, & lignum pomiferum faciens fructum juxta genus ſuum, cujus ſemen in ſemetipſo ſit ſuper terram. Unde ſpiritus illi differentias conſtituentes propriè conſervantur in individuis, & ſi aliquando in aëre reperiantur, hoc eſt per accidens quatenus individua corrumpuntur, & ſpiritus cum ſuis elementis faceſſit in æthera incorruptibilis, donec ab alio individuo ejusdem ſpeciei revocetur, vel ut alimentum vel ut ſemen productivum, vi quadam magnetica & ſympathica; ut enim in terra reperitur cujuscunque rei materialis ſubſtantia, ſeu ſemen fixum, & coagulatum, ſic in aëre & aliis elementis reperitur cujuscunque rei formalis ſubſtantia, ſeu ſemen volatile & infixum, quod in ſpirituoſo corpore ſeu tenuiſſimo, & inviſibili conſiſtit unde ſpiritus dicitur & atomus à Democrito, ex quorum unione & copula ubicunque fuit generatio vera perficitur ſecūdum ſpeciem ſuam.

Semen fixum ubinā potius reperitur.

Spiritus cur atomus dicatur.

Satis jam ſuperque dictam eſt, quo pacto fiant generationes rerum omnium, ex unctuoſa materia illa prima, ex elementis conflata: ſupereſt tantùm, ut integram generationis ſeriem notiſſimam habeamus compoſitionem illius ſubſtantiæ unctuoſæ pandere. Quam ita fieri aſſerunt omnes ſpagyrici philoſophi, & præſertim Anaxagoras in turba, his propemodum verbis: ſcitote ſapientum turba,

quod

quod ſpiſſitudo omnium quatuor, in terra quieſcit, eo quod ignis ſpiſſum in aëra cadit, aëris verò ſpiſſum & quod igne ſpiſſo congregatur, in aquam incidit, aquæ verò ſpiſſum, & quod ex ignis & aëris ſpiſſo coadunatur in terra quieſcit: unde terra ſpiſſior eſt, quod quatuor omnium ſpiſſitudo in terra conjuncta ſit: ſpiſſitudinem quatuor elementorũ vocat Anaxagoras, quod nos dicimus ſubſtantiam unctuoſam, glutinoſam & vitioſam & non inflammabilem: hæc ergo ſpiſſitudo digeritur calore centrali ſuæmetipſius ſubſtantiæ, & elevatur per poros terræ, & in elevatione ſpiritibus peculiaribus impregnatur, ita ut fiant res diverſæ, ex diverſitate ſpirituũ informantium. Sic mineralia omnia, dum ſpiritus minerales occupant ipſam materiam unctuoſam, producuntur, & generantur, & non fiunt ut quidam exiſtimant per appoſitionem materiæ, nam tunc temporis non eſſent entia perfecta, completa & homogenea, ſed entia per aggregationem imperfecta & heterogenea, ut cumulus terræ & arenæ. Agunt ſpiritus minerales in illam materiam, non ſecus ac ſpiritus animales in ſemen, itaque ſi animalia verè dicantur generari & produci, quod intrinſecus vis quædam occulta, quæ nihil aliud eſt quàm ſpiritus animalis, diſponat materiam & formet ad id quod intendit vis illa occulta, ſic & metalla omnia, & mineralia, & lapides, ex eadem ratione generari dicentur, quod eorum omnium ſpiritus diſponat materiam non metallicam, & mineralem ad id quod ipſe intendit: ergo dicet aliquis, vivent omnia mineralia ſi verè generentur, negabimus conſequentiam, quod mineralium generatio non conſiſtat, & fiat ſpiritibus igneis & æthereis, hoc eſt, in quibus ignis & ætheris portio dominatur, ſed terreis & aqueis quibus terra & aqua præcel-

Anaxagoras in turba.

Materia propria quomodo fiant, & cur dicatur ſpiſſitudo elementorum.

Mineralia quomodo fiant ex ſpiſſitudine elementorum.

Ratio cur lapides & mineralia dicantur fieri per generationem ut animalia & planta.

Cur non vivant lapides, ſi fiant per generationem.

præcellent: in quibus propter terream & aqueam ſpiſſitudinem, ſeu unctuoſam illam ſubſtantiam, ignea & ætherea ſpiſſitudine copioſiorem, non educitur actus ille perfectus & ultimus corporis organici & ultimæ perfectionis qui vita dicitur & anima; quæ ſolum in ignea & ætherea ſpiſſitudine conſiſtit, quam qui ſubtiliorem & copioſiorem poſſident animam, etiam perfectiorem obtinent, & qui fixiorem & ſtabiliorem longiorem vitam & à morbis cunctis liberam & vindicatam habent, ut ſuperiùs demonſtratum eſt longiori eloquio. Mineralia ergo verè generantur & producuntur & tamen non vivunt, & idcircò alimento non egent, dum producta ſunt, quod eorum ignis ſpiſſum, & aëris paucum admodum non evaneſcat, quia à copioſiori ſpiſſo aquæ & terræ coërcetur & retinetur, & tandem longiori mora coagulatur, & ſic permanent longiſſimo temporis ævo, immutabilia Quòd ſi aliquando vivere aſſeruimus, id diximus propter illud ignis & ætheris ſpiſſum, quo pollent, in quo vita ineſt potentialiter, & eatenus vivere mineralia diximus, ſed hoc eſt potentia tantum vivere, non actu & imperfectiſſimè ex eorum pauco ignis & ætheris ſpiſſo. Vivere hoc modo imperfectiſſime & potentialiter experientia quotidiana manifeſtum fit, quod ſit eorum ſubſtantia convertibilis in ſubſtantiam viventium, quod fieri non poſſet, niſi vita in eorum ſubſtantia potentialiter implantaretur

Vita & anima in qua ſola ſubſtantia conſiſtant.

Mineralia cur non egeant alimento dum facta ſunt.

Mineralia qua vita vivant.

Unctuoſam jam mineralium omnium ſubſtantiam & materiam, ſpiritu minerali impregnatam patefecimus, ſupereſt verò ut de illius extractione dicamus, quæ cùm variis fiat modis, quos ſepteno numero complexi ſumus, dictum eſt de primo, de calcinatione puta, jam verò de putrefactione dicendum,

dum, quæ eſt extractionis ſecundus modus, imperfectus quidem, ut cæteri omnes, præter coagulationem, in qua ſola unctuoſa illa materia rerum omnium, perfectè extracta reperitur, in ea etiã quieſcit natura, & ars in noſtris operationibus.

Putrefactio quid chymicè.

Putrefactio igitur nihil aliud eſt, quàm unctuoſæ illius ſubſtantiæ, volatilis & infixæ, quæ calcinatione extracta eſt per diſtillationem leviſſima quædam coctio, in terra fixa unctuoſa, ut ſpiritus inviſibilis, qui una cum aqua tranſit in ſpeciem fumi, & exhalationem ſiccam, fiat aqua, & vapor humidus, unctuoſus metallorum immediata materia: alioquin enim tractari non poteſt, niſi tranſeat in vaporem unctuoſum & aquam ponderoſam, propter ejus in evaneſcendo promptitudinem. Ventus enim eſt, & eo nomine vocatur ab Hermete, perpende ergo chymicarum rerum avidè, quantùm ſit difficultatis vẽtum coërcere, & coagulare. Nam id obtinere priùs tibi eſt, quam aliquid veri & proficui videre valeas, ceſſat ventus in microcoſmo, aqua in terram cadente, ſic vẽtus noſter ceſſat, & congelatur aqua noſtra, & in terram noſtram cadente, quod inſinuarunt Chymicorum multi, obſcuriſſimis iſtis verbis ſequentibus: non moritur Draco niſi cum fratre & ſorore ſua, h. e. non congelatur & in vaporem ſeu aquam mineralem non tranſit ſpiritus volatilis, qui ventus, qui draco volatilis dicitur, niſi cum ſpiritu humido fixo, aqueo & terreo ſpiritu calido, igneo, quatenus in terra quieſcunt: eatenus clamant Chymici: natura, naturâ gaudet, natura naturam continet, natura naturam ſuperat & ligat. Abſque ſpiritu ergo illo volatili, qui ventus dicitur, & draco volatilis, & terra, ſive unctuoſa illa materia ex qua eductus eſt ille ventus, putrefactio fieri non poteſt, ut per

Vapor unctuoſus metallorũ natura.

Methodus convertendi ventum chymicum in aquam.

Ænigmatis chymici explicatio.

putre-

putrefactionis definitionem videre licet & authoritate chymicorum comprobatur.

Objectio in putrefactionem.

Quæret hic aliquis Chymiculus ad quid necessaria est putrefactio illa, quam superius attuli, nisi ad operis longitudinem & tarditatem, quod ad arcana omnia chymica obtinenda; sive mineralia sint sive vegetalia, sive animalia, non est opus, nisi substantiâ illa unctuosa, fixa & permanenti, puta, quæ secum semper obtinet spiritus fixos itidem puros, ut & substantia pura est: hæc autem substantia unâ cum spiritu illo fixo, in rebus omnibus reperitur, in ultima earundem rerum purificatione, quæ sola substantia, unicus est, & verus hujusce mundi thesaurus, cùm quod est in rerum natura pretiosiùs ea sola coerceat. Alia verò substantia volatilis & infixa, non est nisi hujus substantiæ fixæ ventus, quod dum materia unctuosa fixa, caliditate terræ nimia ebullit, exeunt illi spiritus illi ventosi, unde dicitur in sacris literis, Eduxit Deus ventos de thesauris suis, nam vere quidem venti educuntur ex illa rerũ omnium unctuosa materia, eductione spirituum infixorum, qui nimia terræ caliditate & ebullitione ex illa unctuosa materia excitantur & foras abeunt cum impetu magno, & impellunt aërem, & fit ventus. Dum verò pluvia cadit in terram, temperat terræ illius unctuosæ caliditatem & ebullitionem, eaque temperata non exeunt spiritus illi, & cessat ventus & extinguitur. Incumbit autem materiæ unctuosæ spiritus iste volatilis seu ventus, ad illius correctionem, ita ut sit illi tanquam alimentum, & idcircò esse ejusdem substantiæ dicitur & vere est, ut etiam habetur testimonio Philosophorum superius citatorum, cùm ab illis philosophis fratres dicantur: differunt tamen ratione volatilitatis & fixionis. Addam ultra quod in arcanis solùm

Venti cur dicantur educi ex thesauru divinu.

lùm requiratur materiæ unctuosæ fixę facilis liquatio & in igne permanens fluxus, ergo non est necessaria putrefactio nostra in arcanis nostris, nisi ad operis tarditatem & eorundem accretionem & augmentationem, quæ totius arcani iterationem, cùm infixo illo spiritu esse perhibetur: huic præclarissimæ objectioni uno verbo respondendum est. Ideò necessariam esse putrefactionem nostram in arcanis nostris, ad ingressionem, & ultimam materiæ unctuosæ fixæ puritatem, quas conditiones, materia unctuosa fixa obtinere nunquam posset, etsi per annos centum & mille, singulis diebus calcinaretur, & aqua perlimpida solveretur, & evaporatione iterum desiccaretur & calcinaretur, quod ea ratione sublimari non posset, & in sublimatione tantùm ingressionem illam, seu vim penetrandi maximam, & ultimam purificationem adipiscitur, quod partes terrestres quæ fixæ inhærent materiæ unctuosæ sursùm elevari non possint.

Solutio objectionis.

Ad purificationem ergo adhibetur & ad penetrationem arcanorum omnium, putrefactio quod ea uniatur spiritus ille infixus in magna copia materiæ unctuosæ fixæ, ut spiritus ille infixus sic unitus copia sua, secum deferat in æthera fixum alium spiritum seu materiam unctuosam, & sic perfectissimè ab excrementis omnibus materia unctuosa vindicetur, & sic summam acquirat penetrandi facultatem: nam eo solo modo hæc obtinent ambo: ambo dico, quia spiritus infixus & volatilis eget distillatione multa, post suam putrefactionem, ut ab omnibus quibus scatet expolietur excrementis ut materia unctuosa seu spiritus fixus, pariter calcinatione sæpius iterata indiget, & in aqua purissima solutione, ut priveturab omnibus heterogeneis suis partibus, antequam conjungantur, & fiant

Putrefactio cur necessaria ad chymica.

vnum putrefactione & sublimatione, quia si impura & illota simul coniunguntur nunquam vniuntur, quod partes illæ heterogeneæ, seu excrementa quibus scatent, impediant vnionem, impedito eorum immediato tactu, nisi enim immediatè se tangant inter se vniri non possunt, & nisi vniantur putrefieri non possunt. In eorum enim vnione consistit putrefactio. Separentur ergo ab omnibus excrementis ambo, materia puta vnctuosa, metallica, seu spiritus fixus metallicus, & eius ventus, seu spiritus infixus eiusdem substantiæ vnctuosæ, antequam simul coniungantur. Vindicantur autem ab excrementis ambo, non vna & eadem methodo, sed diuersa: Terra vnctuosa fixa, calcinatione & lotione multoties iterata, spiritus autem infixus & ventus, distillatione septies iterata. Aduertendum tamen antequam distillentur, pedetentim infundendum esse super terram suam, à qua extractus est, & leui calore fouendum esse, donec terram dissoluerit omnem super quam infusus fuerit, & donec ipse spiritus qui intra poros aquæ mineralis continetur, corpus aqueum receperit, & fiat aqua. Recipit autem dum aqua in quam defertur, materiam vnctuosam suam dissoluit, & sic immediatè se tangunt, & cùm sint eiusdem naturæ, vnus in alterum facilem habet ingressum, leuissimus inde externus calor fouet eos, & adiuuat, vt sese magis ac magis penetrent & sic vniantur & fiant vnum, à prioribus distinctum: Vnctuosa enim materia nimis crassa est, eius spiritus nimis subtilis, ex nimio ergo crasso & nimio subtili, fit media substantia aquea, quæ operatione chymica tractari potest, & sic à suis excrementis denudari. Vt iterum hæc noua substantia aquea purissima iungatur materiæ vnctuosæ itidem purissimæ inter se pariant filium ignis, & sulphur naturæ, quod

Separatio in chymicis arcanis cur necessaria.

Substantia vnctuosa fixa & volatilis qua methodo vindicentur ab excrementis.

Spiritus mercurij quo tempore aqua fiat.

Quare spiritus & materia vnctuosa debeant simul vniri.

quod est, substantia non aquea, sed terrea & ignea volatilis, folijs argenti & auri similis, facillimæ fusionis, adeò vt cera albissima scintillans & micans potius videatur, quàm metallica substantia, ex qua immediatè lapis physicus, & mineralium omnium arcanum componi potest, vt videbitur clariùs in capite vltimo huius libri, & in eius epilogo.

Mercurius philosophicus qualis esse debeat.

Perpende iam quæso, Philochymice, quantæ & quot sint materiæ nostræ putrefactionis ne me contradictionis inter legendum accuses. Nam de vna earum aliquando mihi est sermo, neglectis alijs. Sed id facilè percipitur ex serie sermonis. Quatuor putrefactionis in hoc capite inuenies, si sagaciter animaduertas: Prima erit dum extrahitur vehementi distillatione spiritus noster volatilis, ex materia nostra vnctuosa fixa, hæc verò extractio seu distillatio, putrefactio est, quòd dum extrahitur spiritus & anima, ex materia sua, moritur materia nostra nostro modo, & corrumpitur, & apparet nigra. Secunda verò erit dum spiritus volatilis extractus, qui ventus datur intra poros aquæ, cum qua exiuit, detentus, iterum terræ suæ, coniungitur, vt corpus recipiat aqueum, ad eius purificationem, quod dum ab vno esse transit ad aliud, vt putrefiat, & moriatur necesse est, generatio enim vnius, præsupponit putrefactionem alterius: non quod spiritus ille, aut materia vnctuosa fixa, putrescat aut corrumpatur, sed aquea quædam substantia & terrea, quæ in his reperitur, cuius corpus recipit ille spiritus, & sic in aquam transit ponderosam mineralem, cùm tamen antea esset ventus & aër. Hæc iterum putrefactio apparet nigra, vt & prior, prior tamen in sicco, hæc autem in humido. Tertia putrefactio erit, dum hic spiritus volatilis & ventus aqua factus, & summopere depuratus,

Variæ putrefactiones in chymicis operationibus.

Secunda putrefactio.

Aqua mercurialis qua putrefactione fiat.

Tertia putrefactio.

Sulphur naturæ quo modo fiat.

adunatur cum terra sua itidem purissima, ut invicem progignant naturæ sulphur, seu terram foliatim: Tunc enim temporis transit hic spiritus ab esse aqueo humido volatili, in esse igneum terreum volatile, & ideò moritur, & apparet etiam compositio tota nigra, antequam id fiat, ut in prioribus.

Quarta putr factio.

Quarta verò & ultima arcanorum chymicorū putrefactio erit, dum hic spiritus igneus terreus volatilis, mutatur in spiritum igneum, terreum fixum & non volatilem, in ea iterum apparet color niger.

In quarta putrefactione lapis compl tur.

Ideò antiqui Chymici asseruerūt lapidē eorū multoties corrumpi & mori, prius quàm ad perfectionem deduceretur, in vltima enim tantum putrefactione perficitur opus; in eaque solum natura quiescit. Et hæc putrefactio in coagulatione reperitur; & idcircò eodem nomine, ab antiquis spagyricis insignitur, & in ea sola, elementa verè & propriè convertuntur, veraque solutio & coagulatio fit.

Putrefactio & coagulatio quare inter se conveniunt.

Quod in opere nostro solum præcipitur à philosophis his verbis, Solue & congela, & conuerte elementa, & quod quæris invenies. Hoc capitulo patet sole clarius omnes chymicas nostras operationes quas præsenti opusculo complectimur, sub vnica earum quarumlibet posse comprehendi. Ideo non esset opus, diuersas pandere & ostendere operationes, & propter has diuersa constituere capitula, cùm vnum sufficeret capitulum, ad omnia, inuestiganda.

Omnes operationes chymicæ sub una earū complecti possunt.

Attamen quòd in illa vnica operatione, (siue calcinationem eam faceremus, siue putrefactionem siue solutionem, &c. In vnaquaque istarum operationum, cæteræ omnes complecterentur,) omnes prædictæ fiant operationes: Ad clariorem doctrinam tamen necesse est, singulas distinguere operationes, capitulis distinctis, & inter se separatis. Ne novi Spagyrici, cum experientiâ arcana nostra

Cur capitula distincta de operationibus chymicis constituantur cùm tamē unū sufficeret.

ſtra tentant, perfecta & completa exiſtiment in prima, aut ſecunda operatione, propter ſigna operationum omnium, quæ in ſingulis operationibus, manifeſta fiunt, ne in medio itinere linquant opus, tanquam vanum & inutile, propter ejus imperfectionem, etſi ſigna perfectionis dederit, & oſtenderit, itaque hoc caput generale eſt ad omnia capita, ut & alia ſingula capita generalia ſunt huic etiam capiti, & inter ſe invicem generalia ſunt, quod in aliis operationibus omnibus putrefactio ſit & appareat, & in putrefactione alię omnes appareant operationes, & in omnibus aliis, ſingulæ aliæ, & in ſingulis aliis, omnes cæteræ. Quod quidem adeò intellectu difficillimum eſt, niſi experientiâ ipſa cõprobetur, aut acutiſſimo mentis examine perpendatur, ut omnes qui me legent, me nugari credant, niſi hæc ipſa, ipſimet viderint. Unde intelligant omnes opus chymicum, & arcanum doceri verbis non poſſe, niſi actu & experientia. Quocirca experientias literis mandavi non ut omnes perciperent (alioquin non ſcripſiſſem aut adeò ænygmatico ſtylo patefeciſſem ut Oedipo ad detegendum fuiſſet opus,) ſed ut omnes Spagyrici qui naturam noſtram ignorant & operationes noſtras cognoſcunt & tamen ad finem perfectionis deducere nequeunt propter earum multiplicationem, dirigantur ad viam rectam, certamque methodum, & infallibilem. Profano autem vulgo artem contemnenti nõ ſcripſi ſed iis qui veritatis ſtudioſi ſunt, quibus ſi certo mihi conſtaret non prodeſſe hoc opus, & ex his quæ dico artem comprehendere non poſſe, totum hoc opuſculum vulcano traderem cuſtodiendum ne videretur inutile & vanum.

Arcana chymica verbis doceri nequeunt niſi experiẽtia.

CAP. X.

De Solutione in genere.

Solvere quot modis sumatur.

SOLVERE varias habet significationes, at si peracuta mentis lance perpendantur in unum coire omnes videbuntur: apud Grammaticos idem est ac à vinculis liberare, apud Philosophos ac rem patefacere, apud Medicos ac liquare & mollefacere, apud Chymicos ac in aquam convertere latè sumpto vocabulo. At propriè est humidum radicale cujuscumque rei à vinculis suæ coagulationis reserare, & in aqueum convertere corpus: unde patet omnes istius vocabuli acceptione libertatem quandã & à duris materiæ claustris exclusionem præ se ferre, quibus reseratis Encyclopædia istius vocabuli in sola & Spagyrica arte clarius manifestata peracto cursu tandem quiescit. Omnibus tenebris denudatam perspexerunt multi Chymicorũ hanc de qua loquimur solutionem, cujus beneficio fonté vitæ habuerunt cujus limpidæ aquæ copia Dianã ab omnibus impuris quaternarii puncti coagulationis vinculis liberarunt ut superius visum est. Quid autem per Dianam intelligam satis clare: ex [illegible] cum Diana, & natura convertantur: naturam vero satis patefecimus Chymicis per explicationem materiæ nostræ unctuosæ fixæ in qua sola natura quiescit; unde etjam natura dicitur: si enim natura sit causa & principium motus & quietis in quo est per se, & non secundum accidens, quidni, & materia illa unctuosa fixa natura erit? Cum in ea ipsa per se, & non secundum accidens fiant omnes motus & quietes. Hanc ergo materiam unctuosam superiori capite vidimus spissam, siccam & crassam, non habentem præ spissitudine vim penetrandi ullam, indiget autem penetrandi

Per Dianam quid in elligatur.

Materia unctuosa lapidis, & natura inter se conveniunt.

trandi virtute ad arcanum nostrum, ut habeat illius solutionem: excogitarunt chymici per similem, & eandem substantiam subtiliorem tamen, & non crassam & spissam quæ illius spiritus dicitur naturaliter illi crassæ substantiæ conjunctus, ut sit illius alimentum, & defertur invisibilis hic spiritus ad hanc substantiam crassam & fixam media humiditate aquea quam serum dicunt Medici, cujus superflua pars in animalibus, abit in sudores & urinas aliqua tamen illius humiditatis parte necessaria sibi reservata cui incorporatur, ut tandem in materiã illam fixam abire possit. Ex illo ergo spiritu invisibili cum humiditate conjuncto, crassa illa substãtia fixa solvitur, hoc est in aqueã substantiam volatilẽ transit, interim hoc dum fit, fit & calcinatio, fit & putrefactio: nam si calcinare sit partes heterogeneas comburere, & partes homogeneas attenuare, ut faciliùs solvantur, nihil magis comburit has partes & attenuat, quàm spiritus ille seu aquea illa substantia, propter internum calorem, quo turget, unde ignis dicitur, & sæpe sæpius philosophi spagyrici cùm loquuntur de igne, hunc spiritum intelligunt, non ignem elementarem externum. Ut in turba seu synodo pythagorica habetur multis in locis: comburite inquiunt æs nostrum cum igne calidissimo, & in nigrum vertite colorem, & tamen cum igne levissimo externo hoc peragitur, nam fortissimo & violento destruitur, quod spiritus ille tenuissimus ignem fugiens, non possit pati subitam & vehementem ignitionem, unde evolat ab ipsa materia crassa & spissa, ipsóque evolato materia in attenuata & insoluta manet, dum autem soluta est ascendit unà cum spiritu, in forma aquæ claræ, limpidæ, ponderosæ. Unde in hac unica operatione, duæ reperiuntur operationes præter allatas, congelatio puta spiritus, seu

Quæ substantia abeat in sudores in animalibus.

Materia unctuosa solvitur spiritu suo.

Per ignem quid intelligunt chymici.

Eximenus in turba.

Plato in turba.

venti,in aquam mineralem; & ſolutio corporis ſui, ſeu materiæ unctuoſæ fixæ in eandem aquam mineralem,quod innuunt philoſophi ſpagyrici dum aſſerunt ſpiritum congelari non poſſe,quin corpus ſolvatur,nec vice verſa, corpus ſolvi, quin ſpiritus congeletur. Mutua egent inter ſe ſocietate,ut fiant quæ in arcano chymico expoſtulantur. Spiſſitudo & craſſities materiæ uctuoſæ indiget tenuitate venti,ſeu ſpiritus,& tenuitas venti indiget ſpiſſitudine alterius, ſic ex ſpiſſitudine & tenuitatte generatur medium conjungendi tincturas, quod eſt aqua mineralis,cum qua iterum pura & materia vinctuoſa itidem pura, generatur filius ille ignis ſeu ſulphur naturæ de quo in ſublimatione dicemus. Quod diximus de ſolutione hoc in capite,ad omnia hujusce mundi entia corporea poſſunt applicari, cùm in ſingulis hiſce entibus materia illa unctuoſa fixa, & ſpiritus ejusdem ſubſtantiæ & ventus reperiatur, ut in ſolutione particulari videbimus. Ne autem in ſingulis capitibus multa de ſolutione repetamus, hoc in capite generali ſolutionis definitionem efficientem cauſam,materialem, formalem & finalem ipſius ſolutionis complectentem explicavimus, in aliis ſequentibus methodum faciendæ ſolutionis complectemur, explicata interim dilucidiùs materiali, formali, efficienti & finali cauſa, ſolutionis ſpagyricæ,dum dabitur occaſio.

Sulphur materia ex quibus fiat.

CAP. XI.

De Solutione Vegetantium.

Quod conſiderãdum ſolutione vegetantium.

UT perfectiſſimè cognoſcatur,& percipi poſſit, qua debita ratione fieri poſſit vegetantium ſolutio,videndum primò eſt quid ſit in vegetantibus unctuoſa illa materia fixa, & humidum radicale fixum, & ſpiritus ſeu ventus, qui incumbit huic ſub-

ſubſtantiæ fixæ, ut alimentum ſit acretionis illius ſubſtantiæ, & conſervationis, cum his duabus ſubſtantiis ejusdem generis ſolutio vera perficiatur. Quid ergo in vegetantibus fixæ reperiatur ſubſtantiæ & lateat, in eorum cineribus inveſtigandum. Cætera vero omnia volatilia ſunt & infixa, totum tamen & integrum cineris corpus, non eſt materia noſtra unctuoſa, fixa, ut & reliqua omnia quæ evolant ab igne, dum vegetans comburitur, non ſunt itidem infixus noſter ſpiritus ſeu ventus, ad ſolutionem unctuoſæ materiæ neceſſarius, id tantum quod in cineris centro latet, igneæ naturæ unctuoſa eſt noſtra ſubſtantia, & quod iterum igneæ naturæ reperitur in cæteris vaporabilibus, ſpiritus eſt, & ventus ſpagyricus. In cineris autem centro ſal quidam puriſſimus, clarus ut cryſtallus reperitur facillimæ liquationis, in ſuprema & ultima ejus purificatione, qui ſolus unctuoſa materia noſtra eſt, & Diana & natura; in eo enim reſidet incorruptibilis virtus pullulandi, & germinandi vegetantium, ac eſſet recens & maturum quoddam ſemen, è trunco vegetantis recenter excerptum: ut ipſe expertus ſum, & multi alii ante me, ut narrat & aſſerit ſe feciſſe ipſe Vigenerius in libro cui titulum fecit, *les Chiphres*, & in tractatu peculiari de ſale & igne: nec vi calcinantis ignis combuſta fuit illa virtus, nec aquæ ſolventis & lavantis frigiditate extincta, nec ullo ventorum impetu commota: quod Agmon in turba pro corollario dicit his verbis: Lapis noſter ponderoſus eſt, ſolidus, incōmotus igne, incommotus aqua, incommotus vento, ſed & leviſſimus, cavus & ſpongioſus, commotus igne, commotus aqua, commotus vento; quoniam ſpiritu ſuo ſolo commovetur, & alteratur, qui ignis, qui aqua, qui ventus dicitur.

Solutio vera quibus fiat.

Fixa ſubſtātia qualis in vegetantibus.

Et qualis ſit ſpiritus.

Agmon in turba.

Apostoli cur sal terræ dicti sint.

Propter hujus salis seu substantiæ unctuosæ energiam mirabilem JESUS CHRISTUS philosophorũ caput, imò sapientiæ veræ solus parens, Apostolos suos, salem terræ nominavit: ut enim sal ille vitam naturalem terrenis omnibus tribuit, fovet, & conservat, sic & Apostoli Verbum denunciantes hominibus elargiuntur, & ad supernaturalem, cœlestem, æternamque præparant. Et sicut omnia ab spiritu ejusdem salis vivificantur, sic ab Apostolorum spiritu mortui homines in vitam resurgunt æternam: Spiritus ille vitæ æthereus & cœlestis sali seu unctuosæ nostræ substantiæ fixæ inhæret, ad vitam rerum singularum: Spiritus itidem sanctus æternæ vitæ divinus, & verè cœlestis Apostolos comitatur, ut eo vitam possideamus æternam, advenit spiritus naturalis materiæ unctuosæ ceu sali si per ejus peccatum, hoc est per indebitam ejus coctionem, vento ab eo ejiciatur iterum cum vento & impetu magno: receperunt Apostoli Spiritum sanctum qui ab hominibus per Adami peccatum separatus fuerat cum impetu magno & fulminis forma. Separantur Heterogenea omnia quæ sunt in mixtis, quæque vitam impediunt præsentia & copia spiritus naturalis, dum materia unctuosa eorum, ejus ope solvitur: separantur etiam peccata quæ sunt vitæ nostræ valde Heterogenea sacro illius Spiritus adventu. Miramini quæso similitudinem, miratamque intelligite ut utriusque spiritus possessione vitam utramque fœliciter ducere valeatis. In cognitione enim horum spirituum utraque versatur sapientia divina puta & humana: de divina neminem puto dubitare cum cognito Deo cognoscatur & Sapientia divina, illa & Deus ipse convertuntur & idem sunt, nihilque in Deo reperitur quod non sit Deus. Spiritus autem sanctus

Spiritus vitæ, spiritus Apostolis dato comparatus.

Sapientia divina & humana quibus consistat.

ctus Deus eſt, nec ullatenus differt ab aliis ſacratiſſimæ Trinitatis perſonis ſecundum eſſentiam, unde una perſonâ nota noſcuntur & aliæ. At humanitus nec una nec duæ nec tres cognoſci poſſunt in hac miſeriarum valle in qua quę pedibus calcamus, oculis videmus & tactu tangimus vix percipimus. Corpus enim unctuoſæ materiæ non ut ſpiritu ſuo privatæ & deſtitutæ Deum aliquatenus repræſentans, quod calcamus, videmus, & tangimus percipere non poſſumus, in eo enim latent tres ſubſtantiæ diſtinctæ nõ tamen diſtinctione eſſenciali, ſunt enim omnes ejuſdem ſubſtantiæ, alioqui enim fieri non poſſent ut fiunt. Quòd in eo anima dicitur eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum eo quod in eo corpus eſt, & quod in eo ſpiritus eſt, eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum eo quod in eo anima eſt & corpus, & quod corpus eſt, eſt ejuſdem eſſentiæ cum eo quod eſt anima & ſpiritus. Quòd omne ex ante dictis claret cum hæc omnia fiant ex ſpiſſitudine quatuor elementorũ. Ad ſimilitudinẽ Dei factũ fuiſſe mundũ admittunt omnes Philoſophi Chriſtiani, & Theologi, & tamen ſimilitudinem non clarè oſtendunt, nec in quibus conſiſtat, percipere volunt, ſufficit illis ſcire factus eſt mundus, & peculiari modo homo, ad ſimilitudinem Dei, eamque ſimilitudinem advertere licet in ſupracitata rerum omnium materia unctuoſa, cujus ſpiritus, non in omnibus, quę evolant ab igne, reperitur, non ſecus ac unctuoſa materia in omnibus non reperitur, quæ poſt combuſtionem remanent, ſed tantùm in corpore ſalis, quod eſt quid unctuoſum, terreum, glutinoſum & liquabile: ſic ſpiritus reperitur tantum in corpore aqueo, glutinoſo, unctuoſo, ſubtili, in vegetantibus & animalibus aqua ardens eſt, in mineralibus verò non ardet aqua talis in omnibus niſi in

Anima corpus & ſpiritus qua ratione diſsideant & qua non.

Mũdus ad ſimilitudinem Dei factus.

Spiritus in quibus ſubſtãtiis turgeat.

qui-

quibusdam, veluti in plumbo & ſtanno, non ardet autem in quibusdam eorum, propter glutinoſum, terreum & aqueum dominans glutinoſo, igneo & aëreo: cæteras autem habet proprietates, unde etiã à Chymicis aqua ardens nuncupatur, non quod ardeat ſemper veluti ſpiritus vegetantium & animalium, ſed quod penitus hisdem componatur ſubſtantiis ac ſpiritus ardens in animalibus & vegetãtibus: is enim componitur in omnibus ex ſubtiliſſima parte ſpiſſitudinis cujuscunq; elementi. Differt tamen inter ſe, ſecundum dominium & præexcellentiam ſubtiliſſimæ partis, ſpiſſitudinis elementorum; nam in quo præcellit ſubtiliſſima pars ſpiſſitudinis ignis, & aëris, animalis eſt ſpiritus; in quo verò præcellit ſubtiliſſima pars ſpiſſitudinis aëris & aquæ, plantalis eſt ſpiritus; in quo autem aquæ & terræ, mineralis eſt ſpiritus. Aqua ergo ardens eſt ſubſtantia, quæ in ſe continet ſpiritum vegetantium volatilem, & ſal eſt ſubſtantia continẽs ſpiritum fixum eorum vegetantium. Sic ſpiritus vegetantium erit ſubtiliſſima pars ſalis, cùm ſpiritus nihil aliud ſit, quàm ſubtiliſſima pars volatilis, ſpiſſitudinis omnium elementorum ſeu terræ unctuoſæ: hac habita doctrina patet evidentiſſimè ſolutionem chymicam fieri non poſſe, niſi cùm ſolventia ſunt ejusdem ſubſtantiæ, cum ſolvendis, & ſi quædam ſolvendi potentiam ac energiam in tota rerum natura habere reperiantur, ea pariter ſpiritus ſalis habere ſolutos neceſſe eſt, ſeu tenuiſſimã partem volatilẽ unctuoſæ materiæ in aquam converſam habere neceſſe eſt, cujus ope ſolutio vera tantum chymica, cum formarum conſervatione fieri poteſt. At jam inſurget chymiculus aliquis in doctrinam iſtam argumento ita ſumpto. Quod eſt principium coagulationis, non poteſt eſſe principium

Roſinus ad Euthiciã.

Animalis & plantalis ſpiritus ex quibus fiat.

Spiritus quid ſit in genere.

Calid. in ſecretis.

Ab ſpiritu ſalis vera ſolutio percipitur.

pium solutionis, hæ enim operationes contrariæ sunt. At certum est apud Spagyricos omnes salem, seu substantiam illam unctuosam, quæ in sale residet principium esse coagulationis cum interno suo calore depascat humidum suum & coagulat: ergo sal & omne quod est in substantia illius non erit principium solutionis, cùm sal sive materia illa unctuosa fixa & ejus spiritus sint ejusdem essentiæ, & proinde ejusdem actionis esse necesse erit: respondemus nos salem esse principium coagulationis secundum calorem internum, calidum & siccum præcellentem in materia unctuosa fixa: at esse principium solutionis secundum calorem internum, calidum & humidum præcellentem in materia unctuosa, volatili: unde & si sint ejusdem essentiæ non sunt tamen ejusdem actionis quod non habeant easdem agendi qualitates activè præcellentes, habent quidem omnes qualitates materia fixa & materia volatilis, sed non habent in æquali gradu, & proptereà diversas habent operandi facultates, materia fixa sua siccitate & calore humidum depascédo coagulat & exsiccat, materia verò volatilis sua humiditate & calore materiam siccam & aridam emollit, & emolliendo solvit copiâ sua. Ratum ergò sit salem esse solutionis fundamentum propter suum humidum aëreum quod est ejus spiritus seu pars volatilis & infixa, quo humido aëreo inter omnia sublunaria maximè abundat. Si sint talia in rerum natura quæ vim habeant solvendi in beneficiò salis soluti seu ejus spiritus quem in se materialiter continent, obtinent. Ros inprimis solvit quod spiritus salis rerum quasi omnium in se coerceat: Dum enim à calore solis suarumque substantiarum qui insunt spiritu huic rori ebullitione, per aëra in sublime feruntur, frigiditate mediæ aëris regio-

Sal qua ratione principiū sit solutionis & coagulationis.

Materia fixa qua ratione fixat.

Ros quare solvat & penetret.

regionis & tepiditate supremæ & infimæ temperie, tandem in aquas abeunt dum miscentur vaporibus in has regiones unà cum illis spiritibus elevatis, & iterum decidunt in terram ad impregnationem materiæ fixæ & germinationē & productionem fructus & partus in forma subtilissimæ aquæ quæ ros dicitur, sicque ros terram fœcundat universam, quod in se complectatur omnium rerum vitales spiritus, quod naturæ arcanum cùm Davidi Prophetæ notum esset & clarum, cum montibus Gebboel malum insigne aliquod præcaretur, quod mortem filii sui charissimi Absalon passi fuissent clamabat, *Maledicti sitis montes Gebboel, neque ros neq; pluvia cadat super vos*, ut omnino fierent steriles, germinanti, pullulanti & vitali rerum omnium privati spiritu, cujus privatio summa & suprema terræ est maledictio, mors enim ejus est.

Ros qua ratione fiat & fœcundet terrā.

Mors terræ qualis sit.

Ros ergo vim illam solvendi quam obtinet virtute spiritum solutorū habet vi & aqua ardens quæ ex vino distillatur & acetum tum distillatum tum indistillatum & aquæ omnes quæ fortes dicuntur, quæ parantur ex spiritibus mineralium infixis, ab unica illa virtute & energia solvendi potētiam obtinent. Acetum verò cur obtineat illam potentiam ab spiritu salis, tenebrosæ est intellectionis, cùm illud non contineat in se ullos unctuosæ materiæ vini infixos spiritus, nam experientiâ patet spiritus tales extrahi non posse aceto, cùm hi spiritus tantum in inflammabili vini substantia tenuissima reperiantur: quidquid enim ex aceto per distillationem tenue extrahi potest, incombustibile est, nec ullam guttulam aquæ ardentis subtilissimus Spagyricus extrahere posset ex aceto, attamen verissimum est in eo reperiri spiritus salis sed non iisdem substantiis, atque hi qui sunt in aqua ardente, quia hi po-

Acetū unde habeat vim solvendi.

Spiritus aceti quales.

hi potiſſimum ſunt in ſubſtantia tenuiſſima, ignea & ætherea vini unctuoſæ materiæ, & ideò inflammabiles ſunt, illi verò reſident in ſubſtantia tenuiſſima, aquea & terrea vini unctuoſi, quæ cùm incombuſtibilis ſit non inflammabilis eſt hæc aqua ardens: hoc diſcurſu claret qua ratione acetum frigidum ſit & humidum, etſi educatur ex materia calida & humida, & in ſe coërceat ſpiritus ſalis qui ſolvendi potentiam habent, non enim omne ſolvens, calidum tantum & humidum eſt, at etiam frigidum & humidum, quia omnes illæ ſubſtantiæ poſſunt continere ſpiritum ſalis ſolutum, cujus ſoliùs auxilio hæ ſubſtantiæ poſſunt ſolvere & materiam duram & ſolidam rerum omnium penetrare, cùm habeant ſubſtantiam ſecundum eandem ſubtilem & ſolutam cum materia ipſa dura & ſolida, dictum enim eſt & demonſtratum ſuperiùs ſpiritum volatilem ſolutũ & materiam unctuoſam fixam eſſe ejuſdem eſſentiæ. Quare autem in aceto ſpiritus ille unctuoſæ ſuæ fixæ materiæ in humido aqueo conſiſtat & non in æthereo aut igneo, ut in reliquis omnibus vegetantium ſuccis maturis & recentibus: ratio in promptu eſt cum quod vino maturo inſit æthereæ & igneæ ſubſtãtię tenuioris, tum ipſo ſuo interno movente calore, tum externo faceſcit in aëra, relictis tantum partibus ipſius vini aqueis & terreis dominantibus, quę ſubſtantiæ, cùm maturitatem nunquam inducant, & verum pepaſmum, ſed apexiam & cruditatem & incoctionem, neceſſe eſt talem vini ſubſtantiã apexiæ, cruditatis & incoctionis ſequi facultates & proprietates, & hinc aceſcere, frigidamq; & humidam ſequi qualitatem. Hoc experientiâ quotidiana comprobatur dum ex vino aqua ardens ſeu ætherea, & ignea illa ſubſtantia, per diſtillationem ſimpli-

Acetũ qua ratione frigidum potius quam calidum.

Solvens potest esse frigidum.

Ratio cur acetu frigidum ſit & humidum.

ſimplicem extrahitur, relictis omnibus aliis, quæ non redolent prædictæ ſubſtantiæ florem, quæ leviſſimo ſubinde temporis ſpatio, in acerrimum vertuntur acetum. Hinc etiam à mulierculis inſolatur vinum, ut ætherea & ignea vini ſubſtantia (quæ in vino pepaſmum & hinc dulcedinem induxit) calore ſolis ſurſum elevante, aërea petat ſpatia, & ſic vinum aceſcat, evaneſcente ſuo ſpiritu. Hinc ultrò patet acetum & omphaciũ ejusdem eſſe qualitatis & naturæ: quod enim ex aceto ars, vel temporis vetuſtas eduxit, id ipſum idem in omphacio, natura ipſa temporis brevitate, calorisque defectu, non produxit. Jam evidentiſſimè patet totius ſolutionis vegetantium cauſa & fundamentum: quâ verò ratione & methodo fieri poſſit, neminẽ Chymicorum ſaltem & Philoſophorum & Medicorũ, tam craſſæ Minervæ eſſe exiſtimo, quin ex dictis etiam colligere valeant & percipiant conſiſtere in harum duarum ſubſtantiarum, (quæ totam vegetantis formam continent) unione & matrimonio, & leviſſimi caloris fotu, in vaſe vitreo, oblongi colli, hermeticè aut ſaltem peroptimè clauſo & obturato, ne ſpirituoſæ ſubſtantiæ vis evaneſcat, antequã uniatur cum ſubtiliſſimis unctuoſæ fixæ ſubſtantiæ partibus, & unà cum his aqua fiat, quæ eſt ultimum & proximum plantarum, ſeu vegetantium alimentum, & ſemen prolificum, ex quo generantur, & generata vivunt. Quæ aqua adhuc ad illius perfectionem, in terram puram, volatilem, vertenda eſt, & hæc etiam terra volatilis, in terram fixam eamque puram, ad ultimam & ſupremam plantalis ſeu vegetantis arcani ſeu Elixiris perfectionem. At has omnes chymicas operationes quæ verſantur circa hanc perfectionem ſupremam, capitulis particularibus de ſublimatione & coagulatione ſeu fixione vegetantium declarabimus.

Ætherea ſubſtantia in rebus omnibus dulcedinis cauſa.

Acetum & omphacium idẽ.

Solutionis verum fundamentum.

Plantarũ alimentum & ſemen quale.

CAP. XII.

De Solutione Animantium.

QUo sublimior est & subtilior animantium spiritus, eò etiam difficilior eorum solutio, ea enim fieri non potest, nisi cum spiritu, vt declaratum est, eiusdem naturæ. Cùm autem ille ipse spiritus animalis nihil aliud sit, quàm quædam substantia ætherea, adeò subtilis & sublimis, vt sensus omnes fugiat externos, mente tantum perceptibilis: motus enim quidam animalis percipitur, at ipsius motus instrumentum minimè. Addam ad solutionis difficultatem animantium, quod tale motus animalis instrumentum, in viuentibus solis animalibus reperiatur, in eorum autem cadaueribus, & in eorum partibus alimentitijs separatis ab ipsis viuentibus, inueniri minimè possit, vt hinc extrahi queat, vt experientiâ constat: semen enim animalium, quod est eorum alimentitia & productitia pars, quo turget, copiosiore animali spiritu, ac illico è suis proprijs & innatis vasis, detrusum reperitur, infœcundum est, quod eodem ipso instanti, euanescat spiritus ille, animalis fœcunditatis soboles, & scaturigo, vnde impossibilem credet Medicorum aliquis solutionem nostram circa animantia, quod ex relatis impossibilis videatur animalis spiritus extractio, attamen si ea omnia quæ diximus, tum capite de calcinatione, tum de putrefactione animantium acuratè intelligantur, perceptu facillimum est, solutionem animantium & eorum spirituum extractionem esse posibilem, factu, & Chymico ingenioso perfacilem: non enim in eodem sublimitatis, & subtilitatis gradu quo viuunt tum spirituosam, tum animosam intendimus extrahere, separare, abluere, & ablutas

Difficultas sola nominis animãtium cur maxima.

Spirituum animaliũ ex ractio possibilis.

ſimul conjungere, ut pariant ſolutionem noſtram. Eo enim pacto animalia integra viva, abſq; eorum morte calcinari putrefieri, & ſolvi poſſe concederemus, quod tamen antea fieri poſſe non admiſimus. In inferiori ergo multo gradu, extrahenda eſt illa ſpirituoſa, & animoſa ſubſtantia, in quo vita nullatenus eſt, niſi energia & potentia, non ſecus ac in ſemine, ſanguine, & ultimo alio alimento, vita energeticòs tantùm eſt: hinc colligere licet, ex cadaveribus animalium, tum etiam ex eorum partibus, alimentitiis, dum ipſa vivunt animalia, extrahi poſſe ſpirituoſam noſtram ſubſtantiam, & animoſam, hæ enim ſubſtantiæ, adhuc poſt mortem animantium in eorum cadaveribus reperiuntur, cum ſunt ex elementis conflatæ, ut viſum eſt, & declaratum. In hoc autem capite, ad majorem explicationem hujuſce rei, addam quòd adfert Fernelius lib. 2. ſuæ Phiſiologiæ cap. 11. ex collectione Academicorum Philoſophorum, his propemodum verbis animam noſtram cenſuerũt Academici, à ſummo rerum Opifice conditam priusquam emanaret immigraretque denſo huic, & concreto corpori, cenſuerunt illi, inquit corpore quodam illuſtri, puro, & aſtro ſimili tanquã ſimplici veſte indui quòd in mortale, & ſempiternum nunquam ab animo abſolvi divellique poſſet, & ſine quo non fieret hujuſce mundi incola. Ab hoc deinde alterum corpus animo circumgreſſum tenuè illud quid, ac ſimplex ſed tamen impurius minus illuſtre & ſplendidum ſuperiore nón à ſummo id Opifice procreatum, verum elementorum præſertimque tenuiorum permixtione concretum, à quibus nomen inveniens aërium & æthereum appellatur duobus hiſce corporibus jam ſtipatus animus in tertium hoc mortale caducumque corpus ceu potius in tetrum & te-

Spirituoſa ſubſtantia in cadaveribus reperitur.

Fernelius.

nebricosum carcerem tanquam exul dejectus, terrarum fit hospes donec effracto carcere alacer, & liber in patriam reversus municeps fiat, & civis Deorum: hactenus Fernelius. Si quis jam Medicorum hujusce temporis artem nostram ludibrio habens hanc Fernelii doctrinam ex Academicorum Chymerinis verborum ambagibus decerptam cú nostra jam patefacta disciplina conferat nonne similem, & eandem inveniet immo fide digniorem. Nam unctuosam illam materiam fixam quam animæ sedem, & formarum omnium receptaculum dicimus elementarem esse asserimus una cum unctuosa illa materia infixa quam spirituum omnium pixidem tenuissimam confiximus: ille verò tamen en spirituum materiam, & tenuiorum elementorum permixtione concretam, aliam verò unctuosam materiam, puram animæ sedem quam illustre purumque astroque simile corpus appellat una cũ anima concreatam admittit ex Academicorum opinione perperam interpretata, ut videre licet ex cap. nostro octavo superiori de putrefactione animalium, ubi mentem Hippocratis nostri de anima rationali interpretando Academicorum omnium sententias quas inter se de animarum immortalitate, & mortalitate habuerunt, expandimus, ut ab hac calumnia vindicari possent hæc duo corpora quorum unum astrum terreum, seu corpus illustre purum, astroque simile dixit Fernelius: alterum verò aëreum, æthereumque corpus: hæc inquam duo corpora in cadaveribus animantium omnium reperiuntur, & reperiri dignũ necessariũq; est, modo verum sit & infallibile quod asseruit Aristoteles, infinitique alii Peripatetici Philosophi ex thesi sequentis axiomatis, quæ sunt prima in cõpositione, eadé esse ultima in resolutione necesse est.

Spirituosã rerum substantiã in cadavere, & animali reperiri, probatio.

Hæc verò duo corpora reperiri prima in compositione, tum corporis nostri, tum animalium omniũ atque cæterarum rerum superiùs demonstratum est, hæc eadem etiam corpora ultima esse in resolutione fateri licet, & proinde in cadaveribus omniũ animantium, imò & in cineribus eorundem unctuosam saltem substantiam inveniri fixam & permanentem profiteri non erubescendum est. Objectacula hinc quamplurima suboriri levissimis cujusdam cõjecturæ ventulis jam propemodum subolfacio, quapropter ea diluenda priùs censeo antequam capiti colofonem imponam, ne ulla adversentur quin radicitus animis omnium inculcetur doctrina nostra. Inprimis objici potest si in cadaveribus mortuorum animalium & in eorum cineribus reperiantur substantiæ radicales & primogenitæ, tum eorum spiritus, tum eorundem animæ, sequitur hinc animalia eadem post mortem & eorum corruptionem posse iterum eadem numero in vitam suscitari, & à privatione adhabitum dari regressum, mortuorumque resurrectionem naturale opus esse & non divinum, quod est præter totius rationis gnomonem, naturæ leges, Philosophorumque omnium tum Academicorum tum Peripateticorum statuta atque decreta, nam habita eadem individuali materia, animosa & spirituosa, etsi non habeat eundem perfectionis gradum, spiritum & animam constituentem, tamen arte nostra chymica ad talem tantamque sublimitatem possunt adduci, ut tandem ratione puritatis educatur actus primus ultimæ perfectionis qui anima est, ex his iisdem substantiis à quibus per alterationem evanuerat, hinc etiam ultra sequeretur substantiæ nunquam dari veram corruptionem, & formas omnes respectu illarum duarum substantiarum, ex

Objectio.

quibus

quibus educuntur, non esse illis ipsis substantiis essentiales, sed accidentales, cùm ab his abesse & adesse sine earum corruptione valeant. Ad primum respondemus, & consequenter ad alia omnia, nam hæc ab uno prodeunt & scaturiunt fonte, cujus præcipuè limpida facta lymphâ, prædicta omnia fundum petent, hypostasis instar, absque ullis doctrinæ nostræ obductis tenebris, & ita hypæthram construemus spagyricam artem, quod tamen in votis mihi non erat: vicit me spagyricis omnibus promerendi cupiditas, cujus soliùs ratione votum solvi. *Solutio.*

Dicimus ergo animalia eadem numero, post eorũdem mortem, non posse in vitam suscitari, quod non admittamus, post animalium corruptionem, remanere in substantia eorum individuali unctuosa fixa, aut infixa, tum modum unionis formæ essentialis individuæ, quo unitur individuali substantiæ unctuosæ: tum formam ipsam individualem sed tantum substantiam radicalem communem omnium animantium, eamque tantum admittimus fundamentum esse, & basim, tum modi unitivi, tum formæ individualis: non secus ac est quoddam aliud animalium alimentum, quod quidem ratione alimenti, est ejusdem essentiæ, cum animali nutrituro, ratione supradictæ unctuosæ materiæ, quæ sola est alimentum, non autem ratione formæ individuæ, quæ penitus diversa est & distincta, & in alimento, & in alendo. Itaque admittimus dari corruptionem substantialem illius individuæ formæ, & ab illius privatione nunquam ampliùs ex naturæ potestate, ad ipsius habitum dari regressum, hincque mortuorum resurrectionem divinum tantum esse opus. Quod ejusdem individuę formæ sit evocatio: nec huic doctrinæ obest quod

ſuperius aſſeruimus, ex unctuoſa plantali ſubſtantiâ fixa, ex cineribus alicujus plantæ extracta & peroptimè à fæcibus omnibus ſuis elementitiis, per ablutionem ſeparatâ, ſpirituque ſuo puro delibuta, germinari & produci eandem plantam, quod per eandem non intelligamus individualem ſed eandẽ ſpecificam, non ſecus ac ex ſemine Petri, vel Pauli, producitur Joannes, aut Bertrandus, qui neque eſt ullatenus Petrus aut Paulus, ſed iisdem homo in ſpecifica forma, non in individuali: quia forma illa, & materia individualis, non eſt communicabilis & productiva, ſed tantum materia & forma ſpecifica, quæ inter ſe non diſtinguuntur eſſentialiter in ſubjecto ipſo, cui inhærent, ſed metaphyſicè tantum & ratione ratiocinata, quod ajunt quod diverſis & diſtinctis conceptibus diverſæ concipiantur ab intellectu, cum aliquo reali fundamento, quod tamen ſubjecto inhæret individuali, unde præclariſſimè opinantur, & ratiocinantur Logici omnes dum aſſerunt, univerſalia realiter exiſtere in ipſis individuis, & ab operatione intellectus, dũ ratione ratiocinata, vis illa univerſalis concipitur, ut apta eſſe in multis. Unum enim & idem in re ſufficit, ad fundandas diverſas relationes, modo contineat virtute plures perfectiones diſtinguibiles, ſecundum rationem, cum illud idem unum poſſit eſſe reale fundamentum diverſarum operationum, à quibus diverſæ relationes originem habent. Unde percipi jam exiſtimo objectacula ſupracitata nullius eſſe mométi adverſus doctrinam noſtram, cum materiam noſtram unctuoſam communem & differentem omnibus formis, conſtituamus, eamque in individuis, individuatam ratione ſuæ præſentis formæ, quæ cum corruptibilis ea etiam communis, & univerſalis materia; cum non diſtin-

Ratio formalis Petri non eſt productiva, ſed ratio hominis.

Univerſalia qua ratione exiſtant in individuis.

distinguatur ab individuo, corrumpi dici potest, secundum individualitatem ipsam, at non secundum universalitatem suam, quę cum habeat fundamentum reale in individuo, in corpore etiam individui corrupti eam reperiri necesse est, sub alia tamen individua formaque nunquam putat & corrumpit communitatem illam: id in alimento clarissimum est, nam forma individua panis, pomi, aut carnis, non impedit quin eorum substantia, & materia possit informari forma Petri, Pauli, Leonis, equi, aut alterius alicujus animalis, corrupta pomi, carnis & panis forma, & remanente pomi, carnis & panis materia, adveniente forma Petri, Pauli, &c. Et hoc cum singulis, dierum momentis natura patret, non admittendum est naturam absurda patrare, si ex unica & eadem materia, omnia hujusce mundi, componat, foveat & conservet.

Universalia an incorruptibilia sint in individuis etiam si individua corrumpantur.

Hanc ergo unicam substantiam in animalibus omnibus, & singulis noscere oportet, non enim totum animal est, illa unica substantia. Sunt enim quamplurima, in animali quæ non sunt ex substãtia ipsius unctuosæ materiæ, quę simul una, cum illa substantia componunt animal, ex quibus solis quicquid animalibus advenit mali, oritur & dependet, quæ idcirco separanda sunt, & segreganda ne impediant illius materiæ perfectionem naturalem, cujus ope omnia perficit.

Unica est substantia in omnibus rebus.

Diximus superius materiam unctuosam fixam cujuscunq; rei reperiri, in eorum cineribus, in substantia illa salis, puraputa quæ latet in cineribus; materiam infixam spirituosam reperiri in his omnibus quæ avolant ab igne dum comburuntur mixta, in ea potissimum substantia, quæ in his evaporabilibus occultatur, unctuosa, oleaginosa, & inflammabilis. In hisdem etiam pariter substan-

Vnctuosa fixa materia qua ratione elicitur ex animalibus.

stantiis unctuosa materia fixa, & unctuosa materia infixa, animalium omnium reperietur, & ex his pari methodo elicienda erit, sumatur cadaver alicujus animalis recens, & non fœtidum, & in minutissimis dividatur partibus, suoque sanguine madefiant & imbuantur, immittantur deinde in vas vitreum, longissimi colli, peroptime clausi, & per octo dies digerantur tenuissimo, & levissimo igne, quibus transactis, superposito alembico, collo deobturato vitrei vasis, extrahatur humiditas superflua, non unctuosa, sed aquea, quæ servanda est, ad salem fixum extrahendum, ut videbimus: hæc aqua superflua extracta levissimo calore, aut balnei, aut cineris, nihil enim obest quocunque fiat calore, modo levissimus sit. Novum sanguinem & recentem alicujus animalis ejusdem speciei, in materiam superstitem infundes, per tres aut quatuor vices & digeres, separatis singulis octo diebus, aqueis substantiis superfluis, & ad partem servatis, sic enim quantitatem copiosiorem, tum spirituosæ substantiæ, tum unctuosæ fixæ extrahes. Peractis his tribus infusionibus ad distillationem spirituosæ tuæ substantiæ devenies, levissimo igne, eo enim elevabitur primo lactea quædam substantia aquea, copioso sale volatili impregnata, gusto suo salem sapiens, cujus solius mixtione, lacteum præ se fert colorem: itaque levissimus adhibendus ignis huic distillationi ne una cum aqua superflua spiritus ascendat, quia dum simul conjunctus est cum illa aqua, nulla penitus methodo ab ea separari potest, unde perpetuò manet solutus spiritus cum illa aqua, & in formam unctuosæ aquæ ascendit, cum tamen ascendere deberet, in specie floris salis limpidissimi, ut contingit in media distillatione in qua transacta est omnis superflua aqua phlegmati-

Sale hoc prædicto curantur ulcera quæcunque in homine.

gmatica: unde ſeparanda eſt quantum fieri poteſt in principio aqua illa ſuperflua, ne conjungatur cum ſpirituoſa noſtra ſubſtantia, & eam teneat perpetuo ſolutam tum frigidam tum calidam. Elevanda eſt ergo ſubſtantia noſtra ſpirituoſa in ſpecie ſalis limpidiſſimi, qui leviſſimo calore veluti cera aliqua liqueſcit, quam elevatam & lateribus alembici adhærentem poſtquam hinc ſepoſueris, in vitreum vas, optime clauſum immittes & cuſtodies ne evaporet, donec materiam fixam unctuoſam, ex reliquiis alterius ſubſtantiæ extraxeris, quàm à vitreo tuo vaſe depones, & in vas terreum denſum & prædurum, ignem non timens immittes, oreq; aperto fortiſſimo quo poteris igne combures & calcinabis ad cineres usque, quos præ ignis violentia, albiſſimos eſſe oportet, quod deinde aqua copioſa, ſuperflua & phlegmatica, quam ſuperius extraxiſti, ex digeſtione prima dilues, & diſſolves. Ex his decoctione & digeſtione, & ebullitione, lixiuium clarum & limpidum efficiendo, quod deinde diſtillatione deſiccabis, aut evaporatione: at tibi Conſulo ut potius diſtillatione deſicces quàm evaporatione quòd diſtillatione eandem conſervaveris aquam cujus ope iterum ſalé in fundo vaſis diſtillatorii permanentem, ſiccum & aridum diſſolves, clarumque factum ſepoſitis in fundo fœcibus, & per inclinationem aut filtrationem ſeparatis iterum diſtillabis, hancq; diſtillationem, ſiccationem, ſolutionem, & filtrationem toties iterabis donec ſalem limpidiſſimum purum putum & facillimæ fuſionis obtinueris, quem peroptimè & peraccuratè cuſtodies in vitreo vaſe nitido clauſo, ne aëris aperti fuliginibus & atomis impuris conſpurcetur donec ſuam materiam unctuoſam infixam, quam ſuperius etiam acuratè cuſtodien-

 dam

dam præmonuimus ab excrementis etiam ſuis expolietur, quod fiet ſeptena ejus ſublimatione in vitreo vaſe nitido, leviſſimo calore; abſque ullis additamentis, ſingulis vicibus mutato vaſe ſublimatorio ne ab excrementis quibus inter ſublimandum vindicatur quæ in fundo vaſis ſublimatorii relinquuntur rurſus inquinetur & devenuſtetur: peracta ſublimatione ſeptena, ad unionem & matrimonium non tamen ultimum devenies, conjunges ergo tuas ſimul ſubſtantias puta ſpuras, ſuper pendente tamen infixa materia decimo pondere materiæ fixæ, ut fixa materia quantitate, & copia agentis debelletur, & tranſeat in materiam infixam, & ita fiat volatilis ut ſupremum puritatis gradum, quem in calcinatione præcedenti & ablutione aſſequi non potuit jam ſublimatione ſubſequenti aſſequatur. In conjunctione autem harum duarum ſubſtantiarum ſolutio noſtra quam tractamus hoc in capite, apparebit fixa, dum materia in volatilem tranſibit ſi ſubſtantia volatilis ſit humido aqueo cõtenta poſt ſuam diſtillatione purificationem quam docebimus (capite de diſtillatione) immittenda erit in ſubſtantiam fixam ſuam donec privetur ſuo humido aqueo & contineatur humido aëreo quòd ſolùm debet ſua actione convertere humidum, terreum, igneum, fixum, quod eſt ſubſtantia illa unctuoſa fixa in eandem ſubſtantiam hoc eſt in humidum, terreum, igneum volatile, circa quod ſublimatio fiet noſtra, facta prius ſolutione quam in hoc capite demonſtrabimus, & adhuc fuſius capite ſequenti.

CAP. XIII.

De Solutione Mineralium.

SPAGYRICI ferè omnes Philoſophi cum de ſolutio-

lutione loquuti ſunt, hanc ſolum mineralium ſolutionem intellexerunt, non alias quas ſuperiori capite complexi ſumus, quia non Elixiria tractarunt vegetantium nec animantium niſi allegoricè, & per ſimilitudines valde obſcuras ad minerale Elixir aliqua ratione referendas, cum una methodo, hæc tua fiant, & ex eodem ſimilique radice & materia diverſis & diſtinctis ſpiritibus occupata & impregnata, quod apertiſſimè indicavit Morienus dum Regi Calit interroganti ex qua minera eliceretur unica illa res lapidis Phyſici ſoboles & ſcaturigo, Reſpondit his verbis, hæc res à te extrahitur cujus etjàm minera tu exiſtis, apud te namque illam inveniunt, & ut verius confitear à te accipiunt, quod cum probaveris, amor ejus & dilectio in te augebitur, & ſcias hoc verum & indubitabile permanere. Cujus celeberrimi Spagyrici authoritate Chymiculorum quam plurimi in ſententias omnino fatuas & inſulſas abierunt, illam unicam rem lapidis ſobolem in menſtruis mulierum, in ſanguine, in ſemine, in urinis & excrementis urina ſordidioribus quærentes, & nocturno diurnóque labore ex his extrahere conati ſunt, at illi omnes cum operibus ſuis in fumum abierunt, & ita ſecundum vulgi opinionem in veros Alchymiſtas evaſerunt. Non potuerunt illi omnes hanc omnium elementorum ſpiſſitudinem qua humana corpora omnia conſtant, mente eorum ſpiſſitudine illa ſpiſſiore capeſcere, de hac ſola loquutus eſt Morienus, quæ vera eſt lapidis phyſici animalis materia, non mineralis, tres enim conſtituuntur apud omnes Spagyricos lapides phyſici, vegetalis unus, animalis alius, mineralis alter, & hi tres unus ſunt, hoc eſt ex unica radice prodeunt quæ eſt ſpiſſitudo illa quatuor elementorum, ceu ſemen quod ex centro terræ calore ſuo

Tres lapides phyſici.

Spiritus mundi quomodo dividatur in genera, in species & individua.

ſuo tum ſobolis & ſtellarum per poros ejusdem terræ delatum ſpiritibus tum animalibus, tum vegetalibus, tum mineralibus imprægnatur, & ita dividitur in tria mixtorum genera, & hæc rurſus in infinitas ferè ſpecies, & hæ in ferè infinita individua ex diverſitate, & diſtinctione ſpirituum, ut antea demonſtratum eſt, & dilucidius demonſtrabitur cap. de unione ubi cauſas & rationes ſympatiæ & antipatiæ, amoris & odii ſimilitudinis, & diſſimilitudinis, ſubtilitatis ingenii, & mentis & ejusdem ſtuporis trademus. Hæc ergo ſpiſſitudo quatuor elementorum in centro cujuscumque individui reperitur, ſed non eadem ratione, & eſſentiali exiſtendi modo, ac in ſua prima elementari generatione, talis enim non invenitur ſuper terram nec infra terram, quod eodem inſtanti, quo elementa ſingula ſuum ſpiſſum, hoc eſt ſemen in terram cum ſpiſſo terræ admiſcendum immiſerunt, eo etiam inſtanti ſpiritus quidam occupant ipſum ſpiſſum, & incipit generatio alicujus entis individui, ſecundum ſpeciem & differentiam ſpiritus ſpiſſum occupantis, nec dum corrumpuntur entia individua, datur hinc reſolutio usque ad materiam primam, ſeu ad illud ſpiſſum cujuscumque rei, ſed pereunte forma entis individui, quæ eſt certus perfectionis gradus activus illius ſpiſſitudinis, ab ſpiritibus tum ſuis, tum cœli introductus, introducitur alius gradus alterativus, ab ſpiritibus prioribus fortioribus: manentibus tamen interim prioribus ſpiritibus, cum debili agendi potentia, donec vincantur omnino à ſubſequentibus, & in tali ſpirituum pugna, & victoria introducitur eorum perfectionis actus, qui primus actus eſt entis producti, ſeu forma, quæ victoria cum non poſſit fieri in inſtanti, ſed ſucceſſive & pedetentim, ideò in entium corruptione, dari non poteſt reſolutio, usque ad

Radicalis ejusvis rei materia ubi non reperiatur.

In corruptione non datur reſolutio usque ad materiam primam.

Ratio cur non detur reſolutio usque ad

ad materiam primam, seu spissitudinem illam quatuor elementorum, quod remaneant in ipsa substantia quæ corrumpitur, spiritus prioris formæ, non agentes quidem sed patientes, ab spiritibus aliam formam introducentibus. Nec propterea datur aliquod temporis instans, in quo substantia entis prima, reperiatur informis, cum formam gradum perfectionis dixerimus, quem semper posſidet, ab spiritibus ipsam occupantibus, si non tamen est vltimus, quem postulant ex causa finali spiritus introducti, est tamen gradus quem volunt educi ex præsenti eorum actione, ex ipsa materia, vt tandem gradatim ex illo gradu deueniant ad vltimum perfectissimum. Vt in flore pomi apparet, in quo quidem non adhuc est forma pomi, attamen adsunt spiritus pomi qui in eius flore intendunt tandem introducere formam pomi: eius interim materia quæ vnica est in flore & in pomo, & eadem, non remanet informis, etsi illicò non decoretur forma sua vltima, ad quam spiritus intendunt, tanquam ad vltimum materiæ primæ perfectionis gradum in quo educitur forma pomi, & verè est ipsa pomi forma, non enim formam à gradu ipso distinguo. Itaque claret Morienum superiori eloquio suo, non intellexisse lapidem mineralem in homine reperiri, nisi quatenus spissitudo quatuor elementorum in omnibus entibus reperitur, mineralem tacuit Morienus, & declarauit animalem propter eandem eorumdem radicalem materiam, tacendo tamen vtrumque declarauit, & arcanum transmutandi lapidem animalem, in mineralem, & mineralem in animalem insinuauit, & lapidum omnium physicorum mutuam transmutationem sua interrupta loquendi formula Chymicis veris patefecit, quòd nos capite de sublimatione in genere ostendemus ubi Metempsycosim antiquorum

materiam primam.

Morienus qua ratione intellexit lapidē reperiri in homine.

Quid per solutionē intelliga- tur.

rum agitavimus. Hactenus digressa est oratio nostra, ad ostendendum quid velim intelligere per solutionem, tum mineralium, tum eorumdem omnium quæ solvi merentur ad operationes Chymicas peragendas, non enim intelligo per solutionem mineralium resolutionem eorum, usque ad materiam primam illam quatuor elementorum spissitudinem. Ut quis ex definitione superiori capite de solutione in genere allata colligere posset, quia quamvis per humidum radicale spissitudinem illam elementorum intelligam non primam elementorum, sed primam rei ipsius qua fit & generatur ipsa res intelligo, mineralia enim nulla, uti nec ceteræ res omnes reduci possunt in illam primam elementorum spissitudinem, sed in suam: quæ cum sit ex elementis, elementorum primam materiam dici posse fatendum est. Stabilita jam doctrinâ præsenti quærendum est, ut in reliquis fecimus, an prima illa elementorum spissitudo tam fixa quam infixa part veste & corpore induta in mineralibus ac in animantibus & vegetantibus reperiatur, vidimus superius spissitudinem elementorum in animantibus fixam latere in corpore, in quo præcellit spissum aëris & ignis fixum spisso terræ & aquæ fixo, quod quidem corpus à Chymicis sal fixus dicitur: in vegetantibus verò latere in corpore in quo antecellit aëris & aqua spissum spisso ignis & terræ: in mineralibus autem in quo præpollet spissum aquæ & terræ spisso aëris & ignis non dissimili ratione ac eædem spissitudines infixæ spirituosam constituunt animantium, vegetantium, & mineralium substantiam, quæ cùm sit ejusdem essentiæ cum fixa spissitudine, necesse est ut iisdem polleat spissitudinibus, eodem elementario præcellenti gradu præditis, infixis tamen & vola-

In humido radicali animantium aer & ignis præcellūt, & sal fixus quid dicatur.

volatilibus. Spiſſitudo ergo elementorum in mineralibus tum fixa tum infixa & volatilis pari corpore clauditur ac in vegetantibus & animantibus, ſed non iisdem qualitatibus decorato, unde etiam ſecundis qualitatibus inter ſe diſſident, ſpiſſitudo enim mineralium volatilis, acris eſt & acetoſa, quod ſpiſſum ignis & aëris dulcedinem pariens diminutum & paucum ſit in ſpiſſitudine mineralium, fixa verò amara eſt & acerba: in animantibus autem & vegetantibus ſalita tantum & pungens eſt eorum fixa materia, infixa verò dulcis & palato grata: hinc colligere licet ſpiſſitudinem mineralium egere longiori coctione & purificatione, antequam perveniat ad ultimam ſuam perfectionem, pluraque pati debere quàm animantium & vegetantium ſpiſſitudinem, cùm hæc actu habeat coctionis ſuæ perfectiores qualitates, hujus coctionis indices. Hanc mineralium longiorem coctionem indicarunt veteres Philoſophi Spagyrici mercurii mineralium caractere, in quo ſimili figura depicto ☿ apparet lunæ & ſolis caracter cum cruce, quæ eſt lunæ & ſolis caracteris baſis & fulcrum: crux indicat paſſionem, coctionem, variámque illius transmutationem quam ſubire debet antequam in lunam aut in ſolem poſſit transmutari, in iisque ſolis quieſcere; quam etiam crucem tanquam futuræ coctionis & paſſionis indicem omnibus metallorum imperfectorum caracteribus addiderunt Spagyrici, ad indicandam metallorum imperfectorum neceſſariam coctionem & paſſionem ut ipſa aurum fiant. In argenti autem caractere crucem non poſuerunt, quod dum mercurius mineralis ſeu ſpiſſitudo elementorum ſpiritibus metallicis occupata naturam argenti adeptus eſt, in ea quieſcat, & ita quieſcat ut quamvis transmutatur in

Dulcedinis causa & acerbitat.

Caracteris mercurii explicatio & reliquorum metallorum.

in ſolem ſeu aurum, tam levis eſt illa paſſio & dulcis motus, ut paſſio & crux dici non mereatur, ſed abſolutio circuli qui levi motu perficitur, unde qui argentum miris modis calcinant, ſolvunt, aliisque operationibus phantaſticis laceſſunt & diſcruciant ad illud in aurum tranſmutandum, non ſolum ſemicirculo aberrant, ſed toto penitus circulo: hinc oleum, bona puta ſua, & operam perdunt. At ſi magiam ſui caracteris haberent notam aliorúmq; metallorum, in transmutatione tum illius, tum aliorum omnium nunquam errarent. In auri caractere nullam poſuerunt crucem, ſed circulum fecerũt undiquáque perfectum, tanquam mercurij mineralis abſolutæ, circulatæque coctionis orbem, cum quo quieſcit, tanquam in perfectionis ſuæ centro. Putant aliqui Philoſophiæ penitus ignari, ſe pecuniarum diſpendendarum multitudine caſu quodam fortuito illam transmutationem poſſe invenire, at nimis alta petunt, Icariis fulti alis, quibus decidunt vertiginoſi in paupertatis mare. Qui jam his transmutationibus totis incumbunt ſtudiis, in eásque totis faucibus inhiant, ſtulti potius quàm Philoſophi ſunt, nam ſi tales eſſent, alia certè millies auro nobiliora, & lapidibus omnibus præcioſis præcioſiora quærerent & inveſtigarent, iisque potitis & inventis auro ſuo tunc temporis prout in votis eſſet infinito foverentur. Nam ad aurum habendum ſi philoſophiam chymicam ſpectes, tam facilè eſt negotium quàm ex paſta fermentata panem habere piſturæ arti facillimum eſt: hunc piſtura ex farina pura cum aqua optima & coactione convenienti obtinebis, ſic aurum ex mercurio metallico puro puto, chymica arte, coctione decenti & idonea facies, id eſt perfectè coques illam mercurii crudi ſubſtantiã quæ nihil aliud eſt quam aurum crudum, quod tandem

Metallorum mutua transmutatio à caractere eorum deſumitur.

Metalla transmutare in aurum facillimum eſt.

dem

dem ultima ſui coctione verum & abſolutum fit aurum: non ſecus ac natura ipſa in viſceribus terræ ſingulis horis ſingulisque momentis indeſinenti coctione perficit, eamque naturæ coctionem longam admodum abbreviabis, modo naturæ ipſius ipſammet materiam purifices & ab excrementis omnibus vindices, in quibus ſeparandis longa eſt natura, nam tunc temporis dum pura eſt materia metallica ignis internus ipſiusmet ſubſtantiæ perficit coctionem, quod ſi talis ignis leviſſimo alio externo foveatur igne, valde accelerat coctionem, & quia puriſſima eſt materia, perfectionem adauget majori multo gradu, unde aurum metallicum chymicum, hoc eſt ſubſtantia metallica, chymicis operationibus ad ultimam ſuam coctionem & perfectionem devecta, perfectior eſt & nobilior auro naturali, quod natura in ejus coctione ad ultimam materiæ ſuæ purificationem pervenire non potuerit, ut ars chymica: hinc aurum chymicum cætera metalla imperfecta perficit ſua abundanti perfectione, aurum autem naturale minuit quod craſſius longè ſit auro chymico, cujus craſſitiei cauſa, ſuam tincturam & perfectionem aliis communicare non poteſt, aurum verò chymicum adeò tenue eſt & ſubtile, ut dum miſcetur aliis ſubſtantiis metallicis craſſis & impuris craſſitiem tantam induit, quantam ſufficit ut aurum naturale fiat. Per craſſitiem non intelligo ſubſtantiam impuram & ab elementis metallicis heterogeneam, ſed ſpiſſitudinem illam elementorum, quæ in metallis metallica facta eſt ab eorum ſpiritibus, quæ quamvis in auro chymico ſeu tinctura Philoſophorum reperiatur, non tamen illi ineſt pari ſpiſſitudinis gradu, ſed ſubtiliori admodum & puriori, nec metalla inter ſe poſſident illam ſpiſſitudinem in eodem parique

Aurũ chymicum eſt auro naturali perfectius.

Aurũ naturale cur perfectionẽ cæteris communicare non poſsit.

K gra-

gradu puritatis, sic enim unicum tantum daretur metallum, sed in dissimili penitus: hinc species constituuntur diversæ ab puritatis gradu dissimili, hic autem gradus à coctione temporis spatio longiori & breviori in uno quam in alio dissimili dependet, spiritus enim metallorum eorum spissitudini adhærens radicitus suo innato calore coquit & digerit suam spissitudinem in ea introducendo coctionis suæ & digestionis gradus seu formas, separando interim heterogenea omnia suæ materiæ, quæ quidem dum adsunt impediunt spissitudinis metallicæ perfectam & ultimam coctionem. Huic terræ minerali metallicæ fuligo quædã adhæret, separationis illius internæ index, non secus ac lanugo fructibus superficiatim adsit omnibus, quæ est partium heterogenearum fructuũ maturescendorum separationis judicium, quæ lanugo cum in fructibus immaturis copiosior sit quam in maturis & perfectè coctis, in immaturis etiam plus est excrementi separandi quàm in maturis, in maturis quidem est aliquid, sed illud quod est non impedit perfectionem maturitatis, propter ejus paucitatem, sic in metallis contingit omnibus, dum adhuc ad mixta terræ in mineris suis quiescunt, postquam enim ab his extracta sunt & fusionem passa separationem, illam non patiuntur ab interno calore, quod fusione evanuerit, hinc manet tantum substantia metallica in eo gradu decoctionis & perfectionis in quo erat in ipsa minera, nec amplius potest perfici ex seipsa, hoc est ex spiritibus suis aliquo modo in illa spissitudine coagulatis tantum, non fixis, propter coctionis imperfectionem, nisi adveniant deforis spiritus alii fixi, puri & perfectè cocti in purissima metallica spissitudine, quæ ob suam penetrandi facultatem illico metalla omnia

Vnde perfectio dependeat metallorũ.

Fuligo metallis inhærens quid indicet.

Lanugo in fructibus immaturis cur copiosior quam in maturis.

omnia imperfecta penetrat & coquit sua perfecta coctione, fixa sua absoluta fixatione, purificat sua purificatione quod in his crudum est, infixum & impurum. Alii autem spiritus qui in metallis imperfectis post fusionem relinquuntur non sunt sufficientes, tum ob eorum imperfectionem, tum ob eorum paucitatem, sua perficere metalla, ideo egent similium spirituum coctione perfectorum adventu & auxilio, ut metalla sua perficere possint: hinc fatuum omnino est existimare plumbum aut stannum, aut aliquod aliud imperfectum metallum, quod domorum, turrium, palatiorum, ecclesiarumque tectis impenditur, longo tandem temporis curriculo in argentum aut aurum facessere posse: non enim sufficiens est ad illam perfectam coctionem nec cœlestis calor nec metallicorum spirituum infixorum virtus & energia, quę elementis omnibus permixta undiquaque reperitur, cùm illi omnes spiritus crudi sint & incocti, & quod crudum est & incoctum coquere non possit & perficere aliud crudum & incoctum extra locum generationis, nisi tantum dissolvere & in rubiginem quandam metallicam convertere, quæ si conservari posset unà cum sufficienti spirituum metallicorum quantitate in loco clauso & non aperto, tandem perficeretur in metallum perfectum, at in tectis supra citatis, non datur talis conservationis illius rubiginis occasio, immo una cum ventis, pluviis & imbribus evanescit illa tecti metallici rubigo, quæ sola perfici posset longo temporis intervallo, modo clausa, sufficientique spirituum metallicorum copia delibuta, loco peculiari coërceretur: At quatenus est sub Jove frigido, apertoque, impossibilis est ejus perfectio, imò in dies diminuitur, quod ejus partes superficiariæ corrodantur ab spi-

Cur metalla imperfecta postquam usionē passa sunt perfici ab ipsismet non possint.

Cur plumbum aliu tecta impositū perfici nō possit in argentum.

Crudum & incoctum coquere nō potest.

ritibus metallicis, per æthera vagantibus, & in rubiginem convertantur, quæ cùm tenax & firma non ſit, abſtergitur à pluviis, ventisque difflatur, hinc perpetua & indeſinens datur tecti metallici conſumptio non perfectio: poſſunt tamen metalla imperfecta quæque quamvis fuſionem paſſa ſint, in minerarum metallicarum profundiſſimis antris ſepulta tandem perfici in pura metalla, longiori tamen tempore & diuturniori, ac ſi liquata non fuiſſent, oportet enim prius ab ſpiritibus externis metallicis, qui copioſi in mineris reperiuntur ut corrodantur & abſumantur, & in terram convertantur mineralem, quæ prius vi ignis cruda liquata fuit, in eaque tantum incipit natura ſuas relictas operationes, quæ ignis liquantis violentiâ ceſſaverant conſumptis infixis ſpiritibus, coctionem molientibus, unde natura antequam incipiat coctionem metallicam perfectam in metallis imperfectis liquatis, conatur his omnibus immittere quod liquatio diſperdiderat: illud autem eſt ſpiritus infixus naturæ metallicæ, qui ſolus eam perficit in purum metallum. Itaque qui ſummopere metalla pura flagrant & ardent, omnemq; volvunt ſusquedeq; lapidem, ut metalla imperfecta in aurum mutent, aut argentum, ea impura metalla deſtruant, & in rubiginem convertant metallicam ſpiritibus metallicis, ut ipſa natura agit, eamque rubiginem ſpiritibus ſufficientibus occupatam coquant lentè in vaſe clauſo: hinc procul dubio fiet aurum longiſſimo temporis ſpatio, non uno quidem anno aut triennio, ſed anno centeſimo, deficiet potius vita, quam adveniat ſpectati partus uſus, quod impuritates & excrementa quamplurima, quæ tum ſpiritibus metallicis, tum rubigini illi adſunt, impediant coctionis celeritatẽ, quod impedient mutuã ſpiri-

Metalla imperfecta cur in mineris poſſint in metalla perfecta mutari.

Spiritus infixus eſt ſola cauſa tranſmutationis in imperfectis metallis.

ſpirituum,& metallicæ materiæ inter ſe unionem, ut ante demonſtratum eſt. Qui vult ergo accelerare illam coctionem purificationibus ſtudeat chymicis, illarum enim ope, hoc agat.

Itaque longior fuit oratio noſtra in hoc capite, extra ſolutionis noſtræ mineralis cancellos, quam par ſit, ut his prælibatis percipiant doctrinæ Chymicæ alumni, quantæ ſit neceſſitatis, ad metalla transmutanda ſolutio Chymica mineralium, ea enim ſola poſſumus pervenire ad diſtillationem & ſublimationem ſpirituũ, & materiæ unctuoſæ metallicę, quibus tandẽ ſeparantur excrementa omnia metallica, quæ imperfectionẽ ſemper dum adſunt metallis omnibus cauſantur, & cum his nunquam perfici poſſunt: Separanda ergo ſunt diſtillatione, & ſublimatione, at ſpirituoſam metallicam ſubſtantiam diſtillare non eſt poſſibile nec unctuoſam materiam fixam ſublimare, quòd hæc adeò fixa ſit, ut ignem quemcumque negligat, in eoque ſtet tanquam in ſupremo ſuo gaudio, illa verò quòd adeò ſicca ſit & arida, ut in aquam converti non poſſit. Itaque inveniendum eſt medium cujus ope, illa ſpirituoſa ſubſtantia ventoſa deportetur, in materiam unctuoſam fixam ibique cum ſit ejusdem eſſentiæ, unà cum ſubtilioribus aquæ partibus, quibus defertur in materiam unctuoſam, & ſubtilioribus materiæ unctuoſæ partibus iraceſcat & in aquam convertatur mineralẽ, quæ Mercurius dicitur Philoſophorum, quòd à philoſophis arte fiat naturam imitãdo. Natura quippe ſimili procedit methodo: Terra frigida & ſicca, undequaque poroſa, aërem poris ſuis undequaque coërcet, qui plenus ſpiritibus mineralium, frigiditate terræ condenſatur una cum ſpiritibus in aquam, aqua hæc defertur in materiam unctuoſam metallicam, eamque diſſolvit,

Spirituoſa rerum ſubſtatia quo medio diſtillanda ſit & unctuoſa materia quo medio ſublimanda.

Sulphur metallicũ quo modo generetur in centro terræ.

ſeſeque invicem adeò ſummo devinciunt vinculo, ut nunquam amplius, poſt ſuam veram unionem ſeparari poſſint, & generant verum & genuinum metallicum ſulphur, incombuſtibile rubeum vel album, ſecundum coctionem quam paſſa eſt aqua mineralis, & materia unctuoſa metallica, diuturniorem vel breviorem: ex tempore enim tãtum dependent calores in hiſce metallorũ principiis. Sulphura prædicta pura in mineris generata, metalla producunt pura, ſi verò non ita purè generentur, ut ſæpe ſæpius fit, propter minerarum impuritates ingentes, impura generantur metalla, temporis, tandem longinquitate & diuturnitate, interno ſulphuris metallici calore perficienda, calor enim ille nunquam ceſſat, connata ſua ſeparare excrementa, donec perfectiorem ſuam nanciſcatur, quam impediunt, & retardant excrementa. Hæc ſulphura metallica incombuſtibilia, in mineris non reperiũtur, extra mineralem terram, ſed inviſibilia, ipſi terræ permixta remanent, ſcintillas tamen nonnullas puritatis in ipſa terra producunt, unde ab his ſolis ſulphuribus micant & nitent terræ omnes minerales: bracteolæ tamen illæ aureæ, vel argenteæ, ſulphur illud metallicum non eſt, ſed corpus metallicum ex eo factum, hoc enim corpus duræ eſt liquationis, ſulphur verò facillimæ, ut diximus antéa, pluries eſt liquationis quod humiditatis metallicæ non fixæ, ſed congelatæ tantum, maximam in ſe habeat copiam, cujus ſolius gratia, leviſſimo liquatur igne, ac eſſet cerea quædam ſubſtantia. In metallis autem fixatur magis, ac magis humiditas illa metallica, & heterogeneorum quamplurimorum admixtione difficillimæ fit liquationis. Hoc ſulphur, prædictum, quod immediatum, & proximum eſt metallorum omnium principium, Mercurius

Ex ſulphure puro pura metalla fiunt ex impuro impura metalla generatur.

Sulphur metallicũ quale.

Mercurius & ſulphur quid proprie ſunt in metallis.

curius etiam dici potest, propter humiditatem metallicam quam in se continet, quæ sola Mercurius dicitur metallorum, siccitas verò eorum sulphur: quia tamen in eo corpore prædicto siccitas illa metallica excellit, unde frigido congelatur, sulphuris solo nomine insignitur, etsi humiditas metallica, seu Mercurius in eo etiam reperiatur, cujus nomen occultatur, cum & ejus effectus siccitate sulphuris debelletur, hæc est illa siccitas quæ dicitur à Philosophis Spagyricis, aqua non madefaciens manus, in qua sola, & unica omnia ad lapidem necessaria posuerunt, in ea enim cum humidum radicale metallicum & calidum eorum innatum, simul conjuncta reperiantur, nihil amplius superest, ad divinum illud opus, quam purificatio, & coctio. Hæc à me dicta sunt de Mercurio & sulphure metallico, ut percipiant omnes doctrinæ Chymici avidi, differentiam illius sulphuris mineralis, combustibilis flavi coloris vel cineritii, quod vilissimo palam venditur pretio, & sulphuris, prædicti nostri metallici, incombustibilis, ubique reperibilis, & nullibi sub tali sit veste vendibilis, ut etiam percipiant & cognoscant Mercurium metallicum, seu philosophorum, toto cœlo differre, à Mercurio illo vulgi, cujus ope & comitatu chymicorum & fumivendulorum quamplurimi omnia pro lapide dilapidarunt, ejusq; cynosura mare Colchyum immeabile reddiderunt, fœlix quem faciunt aliena pericula cautum: credite mihi tanquam experto nec fallenti nullam esse in rerum mineralium natura substantiam aptiorem ad Mercurium philosophorum repræsentandum Mercurii vulgaris substantia, meis laboribus similitudinẽ expertus sum & didici ea similitudine, eum ipsum in plumbum, stagnum, cuprum, ferrum, argentum & aurum,

Aqua non madefaciens manus quid sit apud Chymicos.

Sulphur & mercurius Philosophorum differunt omnino à mercurio & sulphure vulgi.

aurum, lapidesq; nonnullos, aquam & sales in olea transmutare, nullo tamen laboris mei & sumptus questu laudabili. In ea tamen transmutatione differentiam mercurii Philosophorum & vulgi didici, quod vulgi mercurius non metalla alteret & transmutet, sed alteretur & transmutetur à metallis: itaque si spiritibus plumbi occupetur argenti aut alicujus alterius metalli, fit metallum secundum spiritus naturam qui ipsum occupaverit: mercurius Philosophorum è contra omnia alterat & transmutat in sui substantiam, quæ si ultimò perfecta est omnia perficit, si verò cruda & incocta ejus ingressu omnia recrudescunt, & in sui substantiam convertuntur: mercurius itaq; vulgi est metallum non metallorum principium, cui aquea principii metallici substantia prædominatur, sicco metallico perpauco determinata: ideò & si currat, non adhæret semitæ suæ ut aqua adhæret quod alieno non coercetur termino, ideò cùm vulgaris mercurii humidum metallicum, crudum & admodum infixum sit convocatis spiritibus metallicis aliis siccioribus & fixioribus, siccius & fixius redditur & transit in naturam metalli, ex qua spiritus fixans & coagulans mercurium extractus est. Quod nunquam contingit in mercurio Philosophorum, is enim sive crudus sive coctus sit, si auri misceatur spiritibus aut argenti proinde non fit aurum nec argentũ, sed tales spiritus transeunt in sui substantiam, nec aurum & argentum fieri possunt, quin totalis mercurii substantia interno suo calore trãseat in aurum aut argentum: similia in medium afferri possunt de sulphure communi illo combustibili, ut Chymici omne percipiãt tale sulphur nõ esse Philosophorũ ex quo metalla procreantur, tãquam

Mercurius vulgi metallum est, aut minerale non metallorũ principiũ.

Cur mercurius communis ab spiritibus metallorum transmutetur in metallo similia è quibus extracti sint spiritus mutantes.

quam enim contraria inter se differunt. Dixi superius quid sit Philosophorum sulphur & adhuc in sequentibus capitulis clariùs manifestabitur, superest tantum ut aperiam sulphuris communis viscera interiora, ut quid sit ejus substantia penitus perdiscatur: scitur ab omnibus ex pinguedine terræ omnia generari, tum metalla, tum mineralia, tum animantia, tum vegetantia cuncta: hæc autem pinguedo in duplici est differentia. Prima est unctuosa illa fixa rerum omnium substantia ex spissitudine quatuor elementorum producta. Secunda est excrementum istius pinguedinis, seu unctuosæ materię in qua cum spissitudo elementorum omnium æqua lance librata non sit, & invicem non peroptimè contemperata, ideò spissum ignis & aëris cum non optimè ligetur aliis aquæ & terræ spissis combustibilitatem parit in ea secunda terrea pinguedine, in prima verò pinguedine non ita fieri potest propter æquilibrium justitiæ non ponderis uniuscujusque spissi elementaris, ejusque perfectam unionem propter quam solam adustio primæ pinguedini abnegatur. Ejusque solius ratione secunda separatur tanquam excrementum à prima, quæ cum triplici dividatur genere, animali puta, minerali, & vegetanti, in his etiam omnibus secunda ista pinguedo, ut primæ excremétum reperitur, in animalibus adeps vocatur, & axungia, in mineralibus sulphur est, in vegetantibus gummi, in his tribus generibus hæ omnes pinguedines imflammabiles sunt, ut superius demonstravimus. Hanc secundam pinguedinem, esse quid rejectaneum ex unctuosa illa materia, rerum omnium prima, quam superius descripsimus, quámque jam primam dicimus pinguedinem, argumento ab experientia quotidiana, desumpto colligere licet: cum omnia quæ copiosissimo utuntur alimento (quòd

Ex pinguedine terræ omnia generantur.

Adeps quid in animali & sulphur in minerali, & gummi in vegetali genere.

nihil aliud eſt quam prima iſta pinguedo, ſeu unctuoſa materia) hæc inquam omnia, copioſa ſcateant ſecunda iſta pinguedine, arbores omnes tempore veris, quod reſeratis corporis ſui poris, & terræ plurimum attrahant ex terra alimenti, copioſum exſudant gummi. Animalia omnia quæ bene curata cute, labori parcunt, otióque indulgent ſummo, hæc omnia adipoſiora fiunt. Cor in animantibus omnibus perfectis, quòd vitæ ſit principium & unicus fons, ideò præ cæteris corporis animalis partibus copioſiori utitur alimento, & meliori, & quod uberiori utatur vitali nectare, ideò etiam adhæret, illi copioſus adeps, tanquam interioris pinguedinis qua nutritur, excrementum rejectaneum. Hinc etiam in omnibus animalibus inter cutem & carnem ſuccreſcit adeps, quòd omnes interiores animalis partes, ad illam partem tanquam totius corporis, emiſſarium ſuum, peculiare remittant excrementum, ut ibi omnia utilia, ſi quæ ſint cuſtodiantur, inutilia verò omnino in furfures, fuligines & ſudores abeant. Adeps autem ibi conſervatur, tanquam excrementum utile, nam penuria alimenti, partes omnes adipe refocillantur, & ſugunt iterum illum, & coquunt, & ſibi aſſimilant, & interim ſpiſſitudines elementorum quæ in adipe ſecundum naturam contemperatæ, & concordi pace ligatæ non erant contemperantur, & ligantur, & fit alimentum ultimum animalis non uſtibile & inflammabile, ut erat ante adeps relictis interim etiam quæ non ſunt ex natura illius ſpiſſitudinis elementaris qua nutrimur, ſic excrementum alimenti poteſt fieri alimentum verum modo iterum coquatur, ſic etiam ex ſulphure communi minerali poteſt fieri ſulphur metallicum, & ultima ſubſtantia ex qua metalla fiunt, ſed natura tantum id poteſt ſuo calore in mine-

Cor pinguedinem cur habeat in pericardio.

Cur animalia omnia pinguedinem inter cutẽ & carnem habeant

Quo modo excrementum alimenti poſſit fieri eorum alimentum.

Sulphur vulgare philoſophorum fieri poteſt à natura tantum.

mineris terræ non secus ac natura sola potest in animantibus adipem in alimentum ultimum convertere, & hoc ultimum alimentum in partes suo interno calore.

Aliud ergo querant sulphur Spagyrici Philosophi, & alium mercurium à vulgaribus illis mineralibus substantiis palam vendibilibus toto cœlo distantem, ut arcana Chymica hinc elicere possint: nec credant se ex illis corporibus sulphur, & mercurium metallicum suis operibus extrahere posse, quamvis enim possibile sit, tamen arduum est opus, & Hercule & Iasone dignum, naturæ potius committendum quam arti, mercurius vulgi est metallorum imperfectorum crudior substantia, & mercurium metallici partis solius volatilis impurior coagulatio, quam credi posset à nostris chymiculis, sulphur verò vulgare est excrementum sulphuris metallici ut vidimus: contemnenda ergo sunt hæc duo, tanquam arti inutilia aliáque quærenda, quæ non sint unctuosæ materiæ metallicæ excrementa, nec in metallum ullo pacto adhuc effecta: ea inquam in mineris reperies spiritu metallico, & substantiâ metallica fixa plena & turgentia. Ex his elicienda est spirituosa substantia quæ ventus est & fumus, forti distillatione ut superius demonstratum est, & fixa metallica substantia calcinatione multoties iterata & lotione ab omnibus suis excrementis detergendâ: túncque temporis ambæ hæ substantiæ conjungendæ sunt pari aut majori pondere, ut inter se uniantur putrefactione, & in unione putrefactionis dissolvantur, donec ambæ fiant aqua mineralis quæ etiam distillatione purganda erit ab heterogeneis suis omnibus donec feces nullas in vasis fundo post se relinquat. Quod qua methodo fieri possit capitibus sequentibus explicabimus: jam verò pro corolla-

Mercurius vulgi quid propriè sit & sulphur.

Ventus & fumus minera'is præcipua metallorum principia.

Ventus & fumus qua ratione aquam fieri possint.

rollario hujusce capitis explicandum est quo pacto, & qua ratione ventus, & fumus mineralis substantia fixa siccissima aquam fieri possint seu mercurium. Diximus superius, & probavimus multis argumentis metallorum substantiam, tum spirituosam & fixam ex spissitudine quatuor elementorum esse conflatam, unde cum in unaquaque metallorum substantia sit aquæ spissitudo aquam in aquã facilem habere ingressum necesse est, & aërẽ in aërem, & sic deniq; deinceps de unoquoque elemento in suũ ipsum spissum: quòd si elementa convertibilia sunt inter se mediis suis qualitatibus quibus inter se convertuntur, ut ignis transit in aërem mediante calore aërio cujus ope aër in ignem ingreditur, & agente aëris humiditate ignis in aërem convertitur, sic aër in aquam mediante humiditate sua cujus ope in aquã habet ingressum agente aquæ frigiditate aër convertitur in aquam, sic etiam aqua mediante frigiditate terram penetrat, & agente terræ siccitate in aquam, aqua in terram convertitur: sic è contrario terra in aquam, aqua in aërem, aër in ignem convertuntur suis mediis qualitatibus, quibus invicem unum in alterum facilem habent ingressum agentibus, deinde & convertentibus contrariis qualitatibus quibus inter se diffident, sic in nostro opere spissum aquæ convocat aquam quam in poris sui corporis aër elementaris conversione sua in aquam elementarem immiserat, & distillatione prima simul una egreditur in vas receptorium cum aëre & aqua elementari in eorúmque poris latet spiritus ille metallicus, donec spissitudines suæ omnes elementorum, quas in se coërcet in aquam transeant mediante humiditate aquæ elementaris quæ distillatione unà cum spiritu egreditur ex corpore minerali in receptoriũ; hac methodo spiritus iste metallicus egreditur aërio

Elementa omnia quibus mediis invicem convertantur.

Mercurius Philosophorum quo modo verè fiat.

rio indutus corpore quamvis in ſe realiter contineat aliorum elementorum corpora actione tamē, & qualitate valde diminuta; hujus aërii corporis qualitate humida in aquam illam elementarem ingreditur, & poris aquæ continetur, aqua deinde frigiditate ſua agit in aërem illum, aër dum patitur, & convertitur neceſſe eſt, ut quicquid in ſe eſt etiam cum illo patiatur & convertatur, itaque aër ille & ſpiritus metallicus ſimul una in aquam trāſeunt, quia tamen converſio illa non tuta eſt, & firma quod ſubtiliſſima aquæ portiuncula iterum facillimè in aërem convertatur, & ſic ſpiritus metallicus iterum in aërem evaneſcat, excogitarūt Chymici fixæ materiæ terræ metallicæ in aquam converſionem, aqua hac præcedenti operante. Terram hanc ſcilicet aquâ prædicta diluunt vaſique vitreo peroptimè clauſo impoſitam, leviſſimoque igne fotam tandem in aquam convertunt ratione prædicta frequenti hujus aquæ irrigatione, ſicque ſpiritus metallicus verè convertitur in aquam, & ex illa aqua evaneſcere non poteſt quin ipſa aqua evaneſcat quod unitus ſit terræ ſuæ, & terra ſua in aquam converſa. Hæc aqua veriſſimus eſt philoſophorum mercurius, & veriſſima mineralis aqua ex qua immediatè ſulphur metallicum procreatur cum corporibus perfectis in ea ſolutis, ut videbimus capitibus de ſublimatione. At antequam ſulphur metallicum procreare poſſit ſummoperè purificanda eſt ab omnibus ſuis heterogeneis, quæ impediunt unionem ſuam cum terra ſua, ex qua unione terra tandem in aërem convertitur, & in ignem qui ſulphur eſt metallicum abit, quod ſapientes expreſſerunt his verbis. Fuge januam reſerare non fugienti convertens namque ſulphureum in ſpiritum ſimilem ſibi fit uterque fugientes, converte

Spiritus metallicus in aquam converſus me curius eſt philoſophorum.

verte

His verbis tota chymia latet.

verte elementa, & quod quæris invenies, verte terram in aquam, aquam in aërem, aërem in ignem, & rursus ignem in aërem, aërem in aquam, & aquam in terram, & completum perfectúmque habebis magisterium. Prima conversio calcinatione, putrefactione, solutione, distillatione, & sublimatione perficitur, ultima verò conversio unione, & fixione completur, ut inferius videbitur.

CAP. XIV.

De Distillatione in genere.

Distillatio quid.

DISTILLATIO est rei solutæ sursum elevatio, illincque in formam liquoris purissimi descensio, qua frequenti elevatione, & descensione humidi radicalis, rerum omnium substantia, tum spirituosa, tum fixa, à fecibus suis vindicatur, & in astralem propemodum substantiam abit: ea enim sola ratione distillatio fuit inventa, ut humidum radicale rerum omnium, in sublimiorem quo potest eveheretur perfectionis gradum in eo enim solo gaudet & quiescit.

Distillatio ad quid inventa.

Hanc autem purificandi methodum phantastica quadam ratione, non sibi ars excogitavit sed ab ipsa natura desumpsit, natura quippe, dum generationes rerum omnium in hac vastissima totius orbis matrice molitur, generationis undiquaque agitat principia, & præcipuè spirituosam & unctuosam fixam uniuscumque rei generandæ materiam, ut ex ambarum agitatione, earumdem exsurgat unio, ex qua ultimo generatio fit. Spirituosa substantia sursum pellitur & elevatur, in vapores & exhalationes ad mediam & supremam usque regionem, illíncque in terram iterum decidit in rorem, pluviam, grandinem, ignes cadentes fulmina, fulgura,

Meteora omnia unde fiant &

gura, capras saltantes, tela, hastas ardẽtes, comœtas, coronas, trabes ignitas & in reliqua ejusmodi meteora, quæ omnia quamvis in terram non cadunt, attamen dum in loco suo comburuntur, convertuntur in aeriam substantiam, quæ pedetentẽ aqua fit, mediæ aëris regionis frigiditate & nocte in rorẽ decidit supra terram. Hęc elevatio omnium rerum spirituosę substantiæ indesinens & perennis est ut frequenti & iterato ad cœlum volatu, tandem cœlestis fiat. Hoc est omnino pura, & materia sua fixa privata suo spiritu & anima putrescat, & in putrefactione vindicetur ab excrementis suis, quibus naturaliter scatet, & sic similiter pura fiat, quam puritatem dum obtinet, è cœlo delabentem suum spiritum, suo purissimo sinu coercet, & suscipit, & unitur cum eo, sicque cujuscunque rei adimpletur generatio. Non æquo ferent animo omnes ferè Peripatetici philosophi meteora omnia, ex spirituosa nostra substantia ortum habere, quod eorum caput & coryphæus Aristoteles, longè aliter loquatur, quod eorum omnium ortus vaporibus solis, & exhalationibus solis donet & consecret: At antequam in me fremant omnes, percipiant quæso, non me Aristotelem redarguere, sed tanquam obscurè loquentem interpretari, exhalationes enim & vapores meteora omnia efficere admitto, sed exhalationes etiã & tales vapores unde proveniãt, & quando fiant explico, quod si præfatis credere nolint, quod spirituosam illã rerum omnium substantiam sursum evehi, in hoc amplissimo terrarum orbe, non oculis ipsis percipiant: advertant quęso, herbarum omnium dum succi vasis peroptimè clausis fermentescunt, eos ipsos nullo agente calore externo, foras emittere vapores & exhalationes quasdam, quæ si liberum & patentem non habeant exitum,

ex quanam teria.

Generatio re um ut fiat.

Aristotelis sen en.ia de ortu mete rorum explicat.o.

tum, vaſa ipſa fortiſſimis vinculis & cingulis quamvis ferreis pervincta, frangunt & exeunt cum impetu magno, & vento in æthera dum: fervet muſtum ſingulis annis in vaſis vinariis, damno periculóque vini, id experientiâ tentatur: ſpirituoſa ſiquidem muſti ſubſtantia, & unctuoſa interno ſuomet calore incandeſcunt & ebulliunt, & quod in his heterogeneum eſt, illa ebullitione à ſuimet ſubſtantiis ſeparant, & foras amandant, aut lateribus vaſorum undiquâque applicant, interímque ſpirituoſa ſubſtantia propter ejus uberiorem copiam evaneſcit in æthera, non enim poteſt tota intra vini ſubſtantiam coërceri, quamvis ferreis clauderetur vaſis, ex nimia illius ebullitione. Quid, ergo tunc temporis impedit, quin illa vini ſpirituoſa ſubſtantia, ſuapte natura inflammabilis, à calore ſolis externo in infima, media, ſupremáque aëris regione, igneſcat, cum & eadem ſubſtantia præ manibus noſtris vaſe aliquo impetu magno & motu agitata flammam concipiat, & non ſolùm hæc ſpirituoſa ſubſtantia, motu agitata flammeſcit, ſed & reliquorum omnium mixtorum, eadem ſpirituoſa ſubſtantia, motu quodam violento ex calefacta igneſcit, quis enim eſt Nobilis equeſtris alicujus regiæ pompæ præfectus, qui non quotidie ferè, & ſingulis horis prædicta non cernat, in hypoconiis regiis, ubi regiè lautéque equi educati, dum ſtrigilibus ferreis ſtrigmenta corporis equorum accuratiſſimè excutiuntur, fricta ſurſum, & deorſum eorum cute, evaneſcentibus fuligineis cutaneis excrementis, apertíſque cutis poris, ſpirituoſa equini alimenti ſubſtantia, quæ in hiſce equis opipare cibatis uberrima eſt, motu tali ſcandeſcit, ſcandeſcente etiam eorum ſuperbo animo, qui etiam motu interno ſubſtantiam illam ſcalfacit, dumque foras emittitur, flammeſcit, ita ut equus ignitus videatur, per

Probatur meteora omnia fieri ab ſpirituoſis rerum ſubſtantiis experientiâ.

Vndenam equi nobiles aliquãdo igniti appareãt.

per aliquod temporis momentulum: id non ſolùm in equis prædictis apparet, & quotidie cernitur, ſed etiam in omnibus animalibus aliis, & præſertim in homine, qui dummodo per quam optimè ſe habeat, temperamentique ſit calidi & ſicci, dum ſcandeſcit, flammeſcit totus, idque mihi ipſi pluries cōtigit, & in aliis multis ſæpius vidi, & præſertim in Puella nobili, formâ gratiſſima prædita, quæ dum coram me capillos venuſte admodum pectine implicatos diſſolveret, flammas veluti cadentes cœlo ſtellas, è capite ſuo in ſinum excutiebat ſuum, quo meteoro perterrita ipſa puella in ſyncopen ferè incidiſſet, ni ſubitò verbis lepidiſſimis refocillata metum è pectore depreſſiſſet, explicata harum flammarum cauſa illi ipſi, & parentibus ſuis. Quòd ſi denique in homine qui microcoſmus eſt, vapores qui ex alimenti coctione, ex inferioribus partibus, ad ſupernas ſurſum verſus tendunt partes, ibique tantum in media aëris regione, aqua fiunt, deciditque iterum pluviæ inſtar, in partes inferiores, quid ni aſſeremus absque ulla veræ philoſophiæ calumnia, meteora omnia, in microcoſmo fieri, ſurſum evehi ex coctione ſpirituoſæ, unctuoſæque rerum omnium ſubſtantiæ, quæ in ipſius terræ ſinu, indeſinenti peragitur foco, ſingulis horarum momentis, ad generationem rerum omnium, & earundem conſervationem & nutritionem, cùm in rerũ natura, nihil aliud reperiri poſſit, quod talia meteora procreare valeat, quin Spirituoſæ illius ſapiat naturam: non enim elementa ſimplicia hæc agere poſſunt, ignis inprimis flammeſcere non poteſt purus, neq; alia elementa ſimiliter pura, nihil enim ſeipſum deſtruit in ſuo eſſe potens, nihil autem potentius eſt elementis puris, adde quod ignis purus non videatur neque ſimiliter aër, aquam verò &

Hiſtoria puellæ alicujus e capite pectẽdo flãmas excutientis.

Elementa ſimplicia cum poſſint conſtituere meteora.

terram nemo dicet flammam concipere posse, ignita autem meteora oculis clarissimè patent, foventque flammam: elementa ultimò non inter se agunt, nisi propter eorum mixtionem, eorum autem mixtio propter generationem rerum omnium habetur, generatio verò propter humidum radicale cujuscunque rei, quod cum spirituosum sit & fixum, ut superiùs claruit, elementa asserimus non inter se misceri & agere, nisi ut generent & procreent spirituosam & fixam rerum omnium substantiam, à qua deinde cætera omnia procreatione dependeant, omniaque meteora cùm mixta sint etiam ex his substantiis generatione dependere alacriter & intrepidè asseremus, hæc enim substantia dum ab agentibus externis tum ab interno suo naturali & insito calore movetur & agitatur, ad generationem non potest tota coerceri & subigi in mixti naturam, ideò natura suimet sagax & provida, copiosam & multo majorem quam par sit, in unoquoque rerum mixto, tum ad generationem, tum sui deinde conservationem indidit, & ex copia illa, agentia sumant quod necessarium & sufficiens est ad generationem & conservationem mixtorum: Si enim tantum id quod sufficit immitteret, cum illa substantia ex natura sua volatilis sit, & alterationem pati facilè non possit, quin aliquid semper sui, in æthera evanescat, generatio perfici nunquam posset, sed manca esset, copiosum ergo est & abundans spirituosum humidum radicale in mixtis omnibus, ne dum evanescit, fixum & permanens essentiæ mixtorum fundamentum & basis, penuria spirituosi, humidi, cujus ope fixum conservatur, pereat, seu alteratam subeat corruptionem & generationem, priori dissentaneam ratione individui corrupti, quod nunquam iterum simile potest

Elementa inter se agunt propter mixtionem.

Spirituosum in generatione semper copiosum.

teſt

test generari & effici. Ex eo ipso quod evanescit ex spirituosa rerum substantia meteora fiunt omnia tum ignea, tum aërea, tum aquea, tum terrea. Ignea primum fiunt ex spirituosa illa substantia, cui spissitudo ignis & aëris cæteris elementorum spissitudinibus prædominatur, ignea tamen præ cæteris præpollente spissitudine, quibus si terrea & aquea spissitudo ferè æquipolleant, diminuto quodam pondere, glutinosa hinc generatur quædam substantia & unctuosa, volatilis, quæ dum volatilitate sua, supremam aëris pertigerit regionem, calore illius loci, tum interno suo foco, magis ac magis glutinescit, cerescitque evanescente humido, aqueo, heterogeneo, concipitque tandem flammam: hincque comœtæ ardent, qui longissimo temporis spatio igniti conspiciuntur, quod terreum & spissum aqueum elementorum [illegible] ardent subitam consumptionem, cæterique ignes ab unica eademque dependent materia, attamen quod uni citiùs extinguantur & evanescant, multis aliis, ex spissitudinibus elementorum infixis, hoc dependet, quod una altera sit tenuior & inflammabilior, ut in oleo olivarum & nucis patet, citiùs enim consumitur oleum olivarum, quàm oleum nucis, citiùs aqua ardens, quàm oleum quodvis aliud: citiùs camphora & naphtha, quam reliqua cuncta, quæ flammam concipere solent, propter eorum tenuitatem, qua elemētorum spissitudines in compositione sua turgent. Quòd si prædicta cuncta, ut sulphur, sal, nitrum, cera, adipesq; omnes & axungiæ, reliqua similia, ex spissitudinibus elementorum infixis, quæ spirituosam rerum substantiam in terra generant, procreentur & formentur, & ignibilia sint ut videmus, quid in pari ratione meteora omnia ignita, ex substantia simili, & eadem effici proclamabimus.

Ignea meteora ex qua parte spirituosæ substantiæ fiant.

Subtile & tenue unctuosum citius consumitur quàm crassum.

Aërea meteora quae pat. Aërea verò meteora fiunt quibus aërea ſpiſſitudo infixa, cæteris antecellit elementorum ſpiſſitudinibus: ut ſunt venti omnes: infixa enim hæc ſpiſſitudo ut diximus ſuperius, ebullitionem ſeu coctionem pati non poteſt, unde egreditur ex materia ubi coquitur, cum impetu, aeremq; externum pellit, & agitat. & fit ventus qui nihil aliud eſt quā aër agitatus, ab ſpiſſitudine illa infixa, cui aëris ſpiſſitudo, dominatur miſceturque unà cum aëre externo. donec ab illius humiditate externa, & frigiditate in aquam tranſeat, & deinde iterum in terram à qua exierat, ut quam evaſerat ſua volatilitate & fuga coctionem, ſuo novo reditu, iterum patiatur, & compleat generationem incœptam. Et etiam ut ebullitionem materiæ ſuæ, in qua generatio fit temperet ſua aquea frigiditate, quam in aëre acquiſivit, & ita impediat fugam & exitum ſuperſtitis alterius ſpirituoſæ ſubſtantiæ, quæ ex ebullitione nimia, in ęthera evaſiſſet pariter ac antecedēs. Hinc ventorum proventus maximus dum in æthera comœtæ appareant, ſimiliaq; inſignia meteora, quod dum ſpirituoſa ſubſtantia ebullitione evaneſcit, ut hinc ignita fiant meteora, exire non poſſit, ignea tantum pars, quin etiam aërea evaneſcat, & aërem externum agitet, & pellat, hinc etiam conſequenter terrę ut plurimum proclamatur ſterilitas, & ſiccitas, quod ebullitione illa nimia, tanquam calcinatione quadam artificiali, ſpirituoſa rerum ſubſtantia, ab earundem rerum fixa ſubſtantia, ſeparetur. Eſt enim ſpirituoſa iſta ſubſtantia alimentum & anima fixæ ſubſtantiæ. Si à parte aliqua corporis noſtri auferatur alimentum, neque amplius ſuo communi ſatietur alimento, pars illa ſtatim tabeſcit & areſcit, & ut illius partibus tabidis, & aridis tanquam morti proximis, exhalant tetri & putridi vapo-

Ventus unde fiat.

Qua ratione ex comœtis ſterilitas terrę oriatur.

vapores, veluti veræ mortis, & corruptionis indicia, sic etiam ex terra, spirituosa illa substantia privatâ, elevantur similes vapores corrupti & putridi, qui aërem inquinant, animaliaque omnia viventia, inspiratione conspurcant. Sic pestis procreatur infinitosque morborum proventus, ex comœtis & ignitis meteoris præsagiunt multi Sapientes: quòd si semper & certissimè non contingant hoc est, quod mediocribus imbribus ebullitio illa terræ unctuosæ fixæ, contemperetur, & spirituosa illa substantia una cum pluviis, redeat in materiam fixam, & sic tabem illam, & siccitatem impediat, & arceat. Quòd si bellum nonnulli hinc etiam præsagiant id ipsum hinc desumunt, quòd perturbatis hominum humoribus mores & perturbari necesse est: quòd si pax sit Regum omnium, & civium regnicolarum unicus & legitimus consensus, bellumque eorundem dissensus, bellum necesse est fieri, eo potissimum tempore, quo mores hominum perturbatiores fiunt, tempore autem comœtarum, id accidit, quòd humores perturbent cœmetæ, possunt tamen hæc præsagia prudentissimo Regum eludi consilio, ut & reliqua omnia sagacissima Medicorum extingui prudentiâ, ut & quondam ipsemet Hippocrates è patria sua, imminentem pestem avertit, ignibus ruri ubique accensis, ut exhalationes & vapores per aerem sparsos venenata qualitate turgentes consumeret, & disperderet: ad hæc aerea meteora pertinent & referuntur, marium omnium, fluminum fontiumque æstus, ut superius tetigimus. Hæc enim substantia spirituosa, cui spissitudo aeris cæteris omnibus prædominatur, dum ebulliendo exit à materia sua fixa, æque aquarum fluctus impellit, ac aërem, & ut in aëre ventos, sic & in aqua æstus progignit: agitatur enim undiqua-

Pestis & morbi quare ex comatu fiat.

Bellum unde desumatur ex comatu.

Comœtarũ præsagium eludi prudentia potest.

Æstus maru & fontiũ a. qua meteora referuntur.

Æstus aquarum quatenus ad lunam referri possint.

que aër ventis, sic & aqua æstibus. Quòd si antiquissimi quidam Philosophi modernique ad Lunam hos maris æstus retulerint, quod Lunæ quadras sequantur: ad Lunam tamen neque ad cœlum referri possunt nisi mediatè tanquam ad causas adjuvantes & multiplicantes spirituosam illam substantiã rerum omnium, quæ Lunæ quadras sequitur: hoc est tẽpore pleni-lunii copiosissima in rebus omnibus reperitur illa substantia, in aliis verò Lunæ quadris diminuta. consistit enim in humido alimentitio, quod crescit & decrescit ex lunæ quadris. Itaq; etiam majori copia exit ex subjecto, cui inest, tempore plenilunii & excitat in aëre impetuosiores ventos, & in aqua violentiores æstus, quam in reliquis lunæ quadris, quibus crescit aut diminuitur ipsa rerum spirituosa substãtia. Quare autem Oceanus tantum reciprocos patiatur æstus, nonnulliq; fontes verno solum tempore & æstivo, & nonnunquam protrahatur usque ad autumni finem, hyeme verò nunquam similes patiantur æstus, qualis est fons noster in pyreneis montibus, dictus vulgari idiomate, *la fon estorbe* loci *de Belesia*, qui quidem fons, verno tempore, urgenteque æstate, maturanteque autumno, horarios patitur æstus, hoc est fluit hora una copiosissimè, fluviumque satis amplum undis suis excitat, refluitque altera hora, & ita arescit, ut nulla appareat aqua, donec redierit altera hora, in qua iterum fluit, sicque per vices horarias, fluvium suum deducit & exsiccat. Rationes formales hujusce mirabilis æstus per conjecturas tradidi superiùs capite de calcinatione mineralium. Jam verò dilucidiùs & copiosiùs eorum causas aperiam:

Vnde fons dictus la fon estorbe habeat horarios æstus.

Notandum igitur primò, fontem hunc rupe sub altissima fluere, montibus pyreneis circumcirca positis,

positis, quibus insunt ingentes ferri & Chalybis mineræ, vitriolique & sulphuris turgens adest copia, & proventus: quibus omnibus locis adest spirituosa metallica substantia copiosissima, montiumque cavernes implet, ebullienteque metallo exeundo cum impetu & vento, aquas quę alias mediocriter continuò fluebant cum impetu tali majori adeò copia quàm par sit, extra montium eiicit cavernas, quibus stillatim crescit ut tandem unica illa hora qua fluit exhauriatur aqua, qua fons est, donec altera subsequenti hora subcrescat alia stillatim aqua, aut rivulis hinc inde in montium antris pullulantibus pari quantitate & copia, ita ut claudat ac præcedens aqua poros terræ, quibus exhalatur & evaporat spirituosa illa metallica substantia, quibus clausis crescit impetus illius substantiæ, cùm & ebullitio semper peragetur, itaque impellit aquam & inflat, sicque iterum fluit donec liberè exeant vapores spirituosæ substantiæ, sed quia continuò stillatur aqua, & rivulis quibusdam eo in loco advenit, ideò per vices obturantur pori exhalationum, & per vices etiam reciprocas fluit & refluit unda fontis: hyeme autem id non peragitur, quod hyeme intima penetralia terræ per antiperistasim incalescant, caloreque illo adventitio, vapores fiant aquei & tepidi, quibus dum se miscet vapor alter spirituosæ metallicæ substantiæ aqua fit & non ventus. Addam etiam hyeme spirituosam substantiam in metallis æque in cæteris rebus omnibus diminutam reperiri, quod in superficie terræ pori ejus frigore condensentur, ita ut non pateat aditus spissitudinibus elementorum, ut inter se coeant in centro terræ & fiant semen universale uniuscujusque mixti: hinc etiam sterilitas est in universa terra in qua viget hyems, donec abje-

Spirituosa metallorũ substantia hyeme in mineris pauca est.

Sterilitas terræ hyeme cur.

rit & redeat ſol qui calore ſuo aperiat poros terræ, & ita admittantur in terræ ſinum elementorum ſpiſſitudines, à quibus fructuum omnium fit proventus. In animalibus verò contrario id accidit modo, in his enim hyemis tempore copioſa eſt ſpirituoſa ſubſtantia, quod animalia eo tempore, aucto per antiperiſtaſim calore, plus ſumant alimenti, quodq; poris cutis frigore condenſatis non diſſipetur, ſed intus remaneat: ideò plus eſt alimenti eo tempore quàm alio, pinguiora etiam ſunt omnia eo tempore animalia, quod plus ſumant alimenti, & minus diſſipetur frigore externo omnia intus compeſcente. In terræ autem viſceribus non plus eſt alimenti, quod minus iniiciatur frigore externo impediente, & quod plus conſumatur aucto per antiperiſtaſim calore, itaque quod eſt in terræ viſceribus ſpirituoſæ ſubſtantiæ conſervatur ad neceſſitatem mixtorum ne pereant, neque evaporat, ideoque eo etiam tempore æſtuoſus non eſt noſter prædictus Pyreneus fons, diminuta ſpirituoſa illa ſubſtantia, & prædominante maxima aquarum in montium antris copia, quæ ſpirituoſæ illius ſubſtantiæ humiditate ſua tepida violentiſſimos compeſcit impetus, mutata tempore illius in aquã ſubſtantia: in aliis autem temporibus copioſa eſt ſpirituoſa metallica ſubſtantia, quod ſpiſſitudines elementorum admittantur copioſiores in terram, poris ejus calore Solis reſeratis. Ideò æſtuat fons prædictus, cæterique omnes, qui multis in locis tum in Italia, Hiſpania, Gallia, aliisque terrarum plagis reperiuntur æſtuoſi.

Animalia cur pinguiora hyeme.

Ratio cur fontes hyeme non æſtuent.

Oceanus autem ſolus æſtuat reciprocè, non Mediterraneum mare, quod Oceanus craſſioribus, pinguioribus, tenacioribusque abundet aquis, quã mare Mediterraneũ, in quo multò minori, tenuiora, &

Oceanus cur ſolus æſtuet.

ra,& ſubtiliora flumina, fonteſque pellucidiores, ſuas deponunt aquas tenuiſſimas & dulces, quarum admixtione attenuatur Mediterranei maris unda, ita ut perfacilis pateat exitus ſpirituoſæ rerum ſubſtantiæ è centro terræ in æthera per medias marinas aquas ſublimandæ, itaque cùm faciles habeat exitus, pellit tantum exeundo aquas, fluctuſque excitat non reciprocos, in Oceano verò propter aquarum tenacitatem & majorem pinguedinem ex copioſiori ſalſedine dependentem cum faciles non habeat exitus ſpirituoſa illa ſubſtantia primis conatibus impellit undas, cumque tota exire non poſſit iterum tendit deorſum, unde venerat, terræque centrum ut locum ſuum proprium adire tendit, ſicque Oceani undas, quas primo impetu exitu ſuo inflaverat reditu ſuo deprimit fitque Oceani æſtus reciprocus. Eædem & ſimiles afferri poſſunt rationes de omnibus fluminibus, quæ æſtus patiuntur, omnia enim hæc flumina craſſiſſimas habent aquas & pingues, aut proximè uniuntur Oceano à quo talem accipiunt motum.

De fontibus verò non ita ratiocinandum, tenues enim omnes habent aquas, ſed ad cauſas ante relatas referendum, ad metallicam puta ſpirituoſam ſpiſſitudinem, quæ dum ab aquis mineralibus exire foras impeditur exeundo cum impetu pellit illas aquas, inſtar æſtus. Hactenus de aëris meteoris quæ quidem ſic appello non quòd in æthere fiant, ſic enim maris æſtus & fontium ad aeris non referentur meteora, neque ſimiliter violentiſſimi illi terrarum motus, quibus aliquando civitates & urbes ſuſque deque ſubvertuntur integrè, ſed quòd eorum cauſa efficiens aeria ſit, propter ſpiſſitudinem aeris in ea præ cæteris dominantem, quæquidem ſubſtantia vi exeundo impellit aerem & ven-

Fontium æſtus & mari & ventus cur ad aerea ref runtur meteora.

tum exaitat, & dum aquam movet æstus progignit, sic & terram impetu suo, si pori ejus nimis clausi sint dum ebulliendo exire cogitur commovet & excitat illos terræ motus, non secus, ac vas vitreum, aut lapideum aut simile, spirituosam aliquam substantiam suo sinu coërcens, si peroptimè claudatur tenacissimo aliquo operculo, operante agentéque aliquo calore externo in spirituosam illam substantiam vase detentam, in minutissimas cum tonitru magno dispergitur partes. Quòd si hæc spirituosa substantia ignea sit, & inflammetur calore aliquo extraneo in loco optimè clauso, violentiores excitat terræ motus, quam aërea substantia, non dissimili ratione, ac in sclopetis pulvis tormentarius accensus, si non facilem habeat exitum, ipsa sclopeta, bellicaque alia instrumenta diffrangit terribili cum tonitru.

Mirabiles terrarum motus effectus non referam, multi enim ante me retulerunt, causas tantum non relatas aperui: ut & de aqueis meteoris referam, quæ quidem aquea dico, etsi in aëre fiant, propter spissitudinem aqueam spirituosæ substantiæ, ex qua talia fiunt meteora, prædominantium causam effectricem contemplor, non locum generationis, ut nomen illis imponam, etsi nomen altum quid & sublime significet, quod propriè igneis meteoris convenit. Ex hac ergo substantia spirituosa, cui præcellit aquea spissitudo, fiunt grandines, nives, pruinæ, pluviæ & rores in media & infima aëris nostri regione, in quibus regionibus condensatur in prædicta meteora, quâ frigiditate, quâ humiditate harum regionum: Quòd si spirituosa illa substantia aquea, inter elevationem & sublimationem spiritus animalium imperfectorum occupetur, decidunt una cum pluviis, roribus & grandine,

Nives nubes pruinæ grandine, & similia meteora ex quibus fiant.

dine, animalcula varia, ut ranæ, bufones, campæ, bruchi, & convolvuli. Terrea autem meteora fiunt ex prædicta spirituosa rerum substantia, cui spissum terræ volatile dominatur & præcellit, & ex hac substantia fiunt in aëre lapides, metalla imperfecta, quia dum elevatur sursum illa substantia, spiritibus metallicis & lapideis occupatur, qui in elevatione materiam disponunt, & tandem ultimam introducunt perfectionem seu formam metallicam aut lapideam, statimque decidunt in terram suometipso pondere. Ad quænam verò meteora referemus manna, rorem illum melleum matutinum, qui colligitur in multis terræ plagis, ubi gratum fulget cœlum, Hebræum manna prætereundo quod miraculosum fuerit, & divinitus è cœlo Hebræis, ad panem quotidianum & cibum demissum. Rorem hunc melleum referemus ad aquea meteora, spirituosa tamen suæ materiali substantiæ, qua procreatur, majorem portionem spissitudinis igneæ, & æthereæ incombustibilis conjungemus, cujus ope coquitur illa spirituosa substantia, in malleam & saccharinam substantiam, quam in reliquis aliis aqueis meteoris quæ non possunt calore congelari, ob paucissimos igneos & æthereos spiritus, sed tantum frigore: sed hæc congelatio dulcedinem non parit, ac alia, quæ fit ope caloris, ut patet in coctione artificiali recentis mysti, quod coctionis assiduitate, congelatur in syrupum melleum, imò & à sagaci magistro, in saccharum optimum, cujus dulcedo & candor alterius sacchari dulcedini & candori nullo pacto cedit. Sunt & Spagyrici multi Philosophi, qui oleum vitrioli, seu illius acetum acerrimum coquendi continuitate in christallos perdulces, & pernitidos congelare sciunt, quod est in tota Spagyrica arte miran-

Vndenam animalia decidant cũ pluviis & grandine.

Vnde metalla & lapides in aere generentur.

Dulcedo in melle & manna unde.

Cristallus vitrio à dulcis mirum est arcanum.

randum arcanum. Sic etiam natura ſubtile illud & ſpirituoſum humidi radicalis, quod à terra in cœlum elevatur una cum vaporibus & exhalationibus intrinſeco ſuo calore, congelat & fixat in melleum liquorem, modò illud ſpirituoſum, ſpiſſo ignis & aeris turgeat, ut & muſtum turget, & oleum vitrioli, ex quibus arte mel & ſaccarum conficitur.

Hæc itaque dicta ſint de meteoris omnibus, ab elevatione ſpirituoſæ rerum ſubſtantiæ procreatis, ut perdiſcāt omnes Philoſophi diſtillationem chymicam à natura ipſa depromptam fuiſſe. Ut enim ipſamet elevationes illas ipſius ſubſtantiæ peragit, ad ipſius ſubſtantiæ purificationem illiusq; levem quandam coagulationem, ut tandem pura, cum ſua fixa materia conjuncta perfectè uniatur, & procreet fructus à natura intentos. Sic & chymici philoſophi arcana animalium vel vegetantium vel mineralium tractantes, ſpirituoſam eorum omnium ſubſtantiam, à materia fixa, elevant ut purificent, puram putamque factam, iterum materiæ ſuæ fixę, etiam puriſſimæ alligent, ut eo firmiſſimo vinculo arcanum oriatur, ſeu mixtum, præcedenti multò potentius. Hujus diſtillationis effectum mirabilem indicarunt antiqui chymici, caractere diſtillationis, qui cum duos complectatur circulos ſemicirculo ex ſuperiori parte inter ſe connexos, hac ſimili forma δl fixam & ſpirituoſam rerum ſubſtantiam indicant circuli illi, quæ perfectionem obtinere debent ſemicirculo ſuperiori, qui cum Luna ſit, humiditatem aqueam repræſentat, cujus ope diſtillantur fixa & ſpirituoſa ſubſtantia, unaque in alteram tranſit, ut oculis patet, caractere illo diſtillationis. Sicque in leonem tranſeunt cœleſtem in quo ſolo Sol exaltatur macrocoſmicus, ut & ſol chymicus exaltatur in ea ſubſtantia multoties diſtilla-

Diſtillatio cur excogitata.

Caracteris diſtillationis explicatio.

ſtillata, quæ leo chymicus dicitur. Quocirca non perperam nec niſi multa cum ratione caracterem eundem diſtillationis Chymicæ ac leoni cœleſti tribuerunt antiqui, quòd, ut ſol cœleſtis in leone cœleſti. Sic & ſol Chymicus in leone Chymico (qui aqua eſt) ex ſpirituoſa & fixa rerum ſubſtantia diſtillata, ad ſupremum evehitur perfectionis gradum, ut ſequentibus videbitur dilucidius.

Leo chymicus qui dicit & qualis.

CAP. XV.

De Diſtillatione vegetantium.

Diſtillatio quid.

DIſtillatio vegetantium eſt mercurii eorum ſoluti ab omnibus partibus naturæ eorum heterogeneis purificatio quocunque fiat modo, ſive à calore ſurſum in vaporem puræ ferantur partes, ſive deorſum per deſcenſum in vaporem etiam detrudantur, ſive à frigore corpus in quo latet mercurius ſolutus comprimatur, calorque mercurii per ſingulas partes diſperſus ad centrum concurrens, ſuisque ſingulis partibus in eo ipſo centro unitis, major & violentior factus, tenuiſſimas partes ſecum rapiat per auras, quibus ſeparatis, cum ipſo interno calore, quòd remanet aqueum congelatur, cum ſit ſine ſpiritibus. Quamdiu enim corpus liquidum ſpiritibus quampiurimis turget, impoſſibile eſt ut congeletur à frigore, quod in vino falerno & maluatico aut alio quovis potenti mero cernere licet, nunquam enim à frigore congelantur, quamvis potentiſſimo, modo ſpiritus vinoſi quibus turgent in eorum ſubſtantia illæſi conſerventur: ſi tamen evaneſcant ob vaſcrum non firmum obturamentum, quòd remanet in baſis illis vinariis congelatur, frigoriſque rigore moderato liquefactum, & in liquorem redactum, non vinum eſt, ſed quid aqueum, colore rubro ſeu vinoſo tinctū, inſipi-

Vinū generoſum cur frigore nō congeletur.

Libabius. Vinum in aquã mutatum.

insipidum plane,nulliusque gratissimæ præcedentis vinosæ qualitatis compos,quòd gustu facilè percipitur. Quòd cum sæpissime mercatoribus vinum malvaticum ad Septemtrionales plagas deferentibus contigerit vinumque generosissimum in aquam rubeam transmutatum habuerint, Physici Chymici hujus rei causam intelligentes, distillationem substantiæ spirituosæ vini,beneficio frigoris invenerunt quam qui valent ingenio facilè consequentur, ut & omnes alias reliquorum vegetantium distillationes, cum enim distillatio sit, ad extrahendum illum calorem spirituosum qui liquidis vegetantium substantiis inhæret,cumque calor ille æque sursum feratur à frigore comprimente illius substantiam,ac à calore elementari comburente & destruente idem subjectum, sequitur ex omnium herbarum succis posse extrahi calidum illud vitale, quòd illi inest frigoris ope,materia enim hoc per se dictat singulis hyberni temporis procellis,hoc operans nimio frigoris rigore, herbas arboresque nonnullas vita expoliando, quòd non ita contingeret, nisi à comprimente frigore & condensante vitalis ille succus spirituosus è subjecto suo in æthera propelleretur. Quòd si hæc per se naturali casu singulis annis accidant, nonne etiam tunc temporis dum viget frigus, anima plantarum & arborum, quæ per auras fertur base aliquo vitreo contineri poterit,ibique conservari ad suos usus. Dubium non est apud Philosophos omnes chymicos & alios, extractionem animæ cujuscunque mixti dependere ab actione, illam animam extrahente,& è sede sua pellente;actionemque omnem dependere à primis qualitatibus, quæ cum sint quatuor, à primis corporibus simplicibus dependentes,quatuor etiam erunt modi quorum ope, & auxi-

Bacchon. Vndenam herbæ & arbores hyeme moriãtur.

auxilio illam animam extrahere poterimus uno tamen aut altero illorum quam cæteris melius & commodius, qualitatem enim elemẽtorum omnes non æqualem habent vim agendi, unde quod calor & frigus magis agant quam aliæ duæ ſuperſtites qualitates, ſiccitas puta & humiditas inter qualitates activas numerantur, ſiccitas autem & humiditas, quòd minus aliis & ſegnius agant, paſſivæ cenſentur qualitates, & tales comparatè inter Philoſophos habentur. Ex his cogitet Spagyricæ artis ſtudioſus varias diſtillandi methodos, prudentique rerum indagatione videat, qua qualitate activa elementorum, melius extrahi poterit illa eſſentia, calore enim commodius quam reliquis qualitatibus ſeparatur quòd in Chymia deſideratur. Calor autem eſt multiplex ſecundum diverſos quos habet gradus, ſecundum quos variæ fiunt diſtillationes. In extrahenda vegetantium eſſentia poſt putrefactionem & ſolutionem fixæ & ſpirituoſæ eorum ſubſtantiæ, calor vehementiſſimus adhiberi non debet ſed valde temperatus, qualis eſt calor balnei, candelæ, aut ſolis æſtivi, quiquidem calores in eodem gradu, à carbonibus in athanore, hoc eſt furno ſecreto philoſophorum poſſunt excitari, & multo ſegniores & tepidiores reddi à prudenti & experto Chymico. Unde non intereſt quocumque fiat igne modo temperatus ſit, anima adhuc qualiſcumque ſit ſive vegetantium ſive animantium & mineralium, in diſtillatione fixá non eſt & permanens, ſed tantum in tenuiſſimam aquam congelata, quo circa facilè in ventum forti igne convertitur nec ſubito in aquam condenſari poteſt, continuò agente fortiſſimo calore, qui vapores vaporibus, & exhalationes exhalationibus accumulat, ita ut non poſſint in vaſe diſtillatorio

Lullius. Qualitates elementorum non æqualem habet agendi vim.

Calor præſt omnibus qualitatibus ad eſſentias extrahendas.

Anima diſtillandorum.

coerceri, quin exeant foras, disruptis vasis aut apertis juncturis, ut quotidie experiuntur aquæ ardentis, & aquæ fortis distillatores. Itaque caveant sibi Chymicæ artis Tyrones à fortissimo igne, ne quærant in aere quòd in ventre vasis distillatorii incarceratum detinebant. Postquam enim materia fixa vegetantium puta pura à sua spirituosa substantia dissoluta est & aqua facta, tunc temporis fixa non est, nec ignem pati potest ut antea, sed æque ac spirituosa substantia æthera petit. Sicque ambo elevatione illa distillatoria defecantur ab omnibus extraneis suis partibus, & fiunt unum inseparabile purum: terra fixa, aqua facta & volatilis, actione caloris, tum sui & ipsius corporis, tum externi ab agente distillante introducti, tandem volatilitatem vincit post quam purissima facta est, permanens & fixa iterum efficitur, unde etiam spirituosa illa substantia, quæ in solutione & putrefactione terram fixam volatilem effecerat, jam in ultimis distillationibus, unà cum terra, fixa & permanens evadit, fiuntque ambo unum oleum in igne permanens, quod quidem cum ardeat propter spirituosam substantiam, quæ suamet ipsa substantia ignibilis est & inflammabilis, adhuc retinet illam concipiendi flammam & igniendi promptitudinem & facilitatem, quia tamen fixa est, & permanens, nec à flamma in aerem converti potest, ideò perpetuo ardet, absque ulla ferè aut levissima ejus consumptione. Itaque ex eadem ipsa substantia sola, aut substantia spirituosa animalium, unà cum terris suis fixis & puris, fixa facta est & permanens, fiunt lampades illæ perpetuo ardentes, & inconsumptibiles. Illud tamen naturæ arcanum & secretum copiosius & abundantius, in vino latet & ex eo extrahi potest quam ex aliis cæterisque animantium & vege-

Ignis fortis in operationibus Chymicis semper fugiendus.

Penotus. Oleum incombustibile unde fiat.

Lampades perpetuo ardentes unde fiant.

vegetantium spirituosis substanijs fixis factis, illud enim vnum est in quo turget copiosissime spirituosa ipsa substantia & fixa: & ita turgent ambæ illæ substantiæ, vt temporis tractu, copiosissimæ reperiantur: fixa partim substantiæ liquidæ admixta continetur partim lateribus vasis, adhæret tartaro inuoluta. Ex his ergo substantijs potest Chymicus subtilissima Spagyrica operatione, has substantias spirituosam puta & fixam vini substantiam segregare & purificare, & puras simul miscere vt vniantur, & fiant vnum quid inseperabile, perpetuo flammabile, & nullatenus ferè tamẽ combustibile; & consumptibile. Hinc percipiant quæso Philosophi, & Medici omnes quale sit istud vitæ arcanum: si enim vita sit ex Aristotele, & Medicorum omnium consensu, permanentia caloris in humido radicali, verissime permanens est, & fixus calor, in humido ipsius arcani & secreti: unde qui eo uti possunt, tanquam alimento ad vitam sustentandã, nonne diutius vivent & fœlicius, quàm qui communibus alimentis volatilibus & infixis excrementiis utuntur, quorum substantia cum labilis sit, & vaporabilis, humidum radicale sublevare non potest, & vindicare, à labilitate & consumptione, quæ in dies à calore suo disperditur. Unde necesse est vivificum illud corporis nostri nectar, ab alimento corruptibili conspurcati, quodque dum ipsum aggreditur talis hostis, fragilitati & corruptionum legibus obnoxium perpetuo certamine, ac indefinẽti lucta, defatigatum tandem labori succumbit, cum in toto rurem orbe, nihil inveniri possit, quòd illius vires fractas atque collapsas inter pugnandũ restaurare eique tantillum refrigerii præbere, valeat, & quod peius est, tantum est in rebus inane, ut omnibus vitæ subservientibus, naucique ornamẽ-

Vitæ spiritus in vino copiosus.

Arcanum vitæ summum in vino.

Inanis hominum luxus descriptio.

tis curam potius & ſtudium omne adhibeamus, quam vitæ ipſius baſi, & fundamento: Quid enim in veſtitu inexploratum, quid menſis ipſique gulæ intentatum, quid viſui cæterisque ſenſibus externis inexpertum relinquimus ut nobis arrideamus? omnia denique ſusque deque vertuntur, ut palato ſatisfaciamus, & corporis decoro ornatui: quidquid plantæ, quidquid arbores, quidquid animalia cuncta, quidquid pontus & terra univerſa proferunt, id omne ornamento & palato hominis diurno nocturnoque labore, pervigilique induſtria paratur. Vitæ verò noſtræ brutorum ferè modo conſulimus, dum eſurimus naturali inſtinctu ferimur ad eſcas inconditas, pulmentis acervatim, panibus aggeratim, poculis agminatim iniectis, hinc morborum innumeræ myriades, ſecundum variam hujus humidi radicalis noſtri, à cauſis præter naturam depopulationem: ſagacius tamen vitæ ſuæ conſulere deberet homo, & ratione uti, qua potiſſimum inter cæteras animantium myriades ſplendet, Deus enim

Os homini ſublime dedit cœlumq; tueri
Iuſſit, & erectos ad ſydera tollere vultus.

Ut tandem unde ille traxerit originem, tum animæ, tum corporis ſui, ſua mentis ſagacitate perciperet, vivit homo, & unde vivat ſcire negligit: cœlum habet oculis conſpicuum, ſyderumque omnium, circa elementorum ſuperficiem indeſinentem rotationem & futilem exiſtimat, clamatque ſapiens dominabitur aſtris, imò isdem vivit, & ſubſiſtit ab eorum virtute & energia. Ceſſante enim aſtro, moritur homo, diſcedunt è vivis bruta, areſiunt plantæ, & ſterileſcunt arbores & fruges. Ex quo facilè patet ſingulis horarum momentis vitam è cœlo in terram defluere, ibiq; mixtorum compoſitionibus conſer-

Homo & omne vivens ex aſtru vivit.

conſervari, ut hinc tanquam ex communi viventium promptuario, viventia omnia, & ipſe homo capeſſant vitam: Eſt autem illa vita, ſpiſſitudo quatuor elementorum, quæ cùm ſublimatur & elevatur in æthera, cœleſti impregnatur ſpiritu, qui radiis ſtellarum & planetarum in ipſam ſpiſſitudinem infunditur, qui cùm ſit ejusdem generis facillimè retinetur, & cum amore ſummo, exultantique gaudio & lætitia, in ſinu ipſius ſpiſſitudinis ſuſcipitur, & fit illud humidum radicale, calore & ſpiritu cœleſti perfuſum cujuscumque mixti, quo ſolo vivimus & nutrimur: quod ut ab elementorum omniũ fæculenta materia ſeparatum habeamus, varia in noſtro corpore reliquorumque viventium natura inſtituit vaſcula, variosque indidit focos, ſecundum variam, eamque duram alimenti compoſitionem: in alimentum enim ultimum, faceſſere non poteſt, quin ab omnibus aut ſaltem majoribus, & quamplurimis extergatur excrementis. Natura verò noſtra ſuis vaſculis, ſuisque actionibus, ad ſupremam pervenire non poteſt illius humidi radicalis puritatem; nec etiam ad ſufficientem & debitam, unde morbis tentatur variis, ex varietate excremẽtorum, quæ in præparatione humidi radicalis adventitii ſeu alimenti relinquuntur: quibus tandem acervatim cumulatis, calor vivificus humidi radicalis noſtri ſuffocatur, & extinguitur. Quòd cum ſagaci mentis examine perpendiſſent melioris notæ Philoſophi vidiſſentque humidum illud alimentum quo vivimus, eſſe admodum imbecille, & evaporabile, propter aqueam minusque coctam illius ſubſtantiam, qua turget ex materia ſua, quam coquere non poteſt, & ad perfectam deducere formam propter ſui ipſius igniculi imbecillitatem, quæ ab illa aquea & frigida, roboratur ſub-

Viventia omnia unde vitam jumant.

Humidum radicale quo modo fiant.

Natura cur variis tentetur morbis.

Mors unde.

Veterem veteres lapidem excogitent Physicum.

ſtantia, in diesque creſcit: perſcrutatis totius inventionis ſcriniis, quæſierunt artem ſeparandi illam humiditatem abundantem, ab ipſo humido radicali, cæteraque omnia extranea illius excrementa, hincque purum factum calore vivifico cœleſti, potentiori multo, quam reliqua mixta, portione dotatum, terræ fæculentia minimè vitiatum nec aquæ limo contaminatum, nec aëris tenebricoſa ſubſtantia obumbratum, nec ignis calore uſtulatum, ſed nitida eaque temperata elementorum omnium deſponſatione formatum, aſtrorumque omnium virtutibus & energiis inſignitum, leviſſimi igniculi continui fotu in fixam & permanentem & aſtralem omnino redegerunt ſubſtantiam, quam aurum dixerunt phyſicum, ob ſimilitudinem & ſimpathiam maximam quam cum auro poſſidet, quod anatomiæ magicæ, & philoſophicæ pyronomiæ legibus, per illam plurimorum nominum hylealem aquam volatilem, & ejusdem ſubſtantiæ & eſſentiæ, à puro puncti quaternarii coagulationis vinculo philoſophicè & naturaliter liberatum, repetita coctione naturali, rotatione phyſica, in ſaccharum candidiſſimum, & abſoluta coctione rubicundiſſimum in omni liquore reſolubile redegerunt, ut à ventriculo noſtro ſubigi poſſet, faciliq; negotio in noſtram faceſſeret ſubſtantiam, ſuaque ſubſtantia & proprietate manifeſta humidum radicale noſtram, operationum omniũ authorem infrigidatum foveret, à cauſis præter naturam intactum conſervaret, calore nativo depaſſum reſarſiret, morbis diminutum, & quaſi omnino annihilatum adaugeret. Id omne antiqui Sophi pervigili mentis ſuæ prudentia, & induſtria excogitarunt, & labore conſequuti ſunt, nos verò eorum illud & præclariſſimum & utiliſſimum toti huma-

Lapis phyſicus cur aurum dictum dicatur.

Virtutes lapidis phyſici.

humanæ naturæ inventum flocci pendimus, in nos etiam ipsos durissima morborum omnium vitæque brevis cuditur faba, quam excutere non possumus nisi spagyricis indulgeamus vigiliis & laboribus. Hæc secreta & arcana pando, ut videant omnes puræ rationis competes homines, quam temere chymiam nonnulli calumniis variis & injuriis affecerunt, quorum omnium miror ignaviam, ne dicam inscitiam, quod cartis Quintiliani, Ciceronis, Aristotelis, Galeni & Hippocratis impallescere malint, ut victũ miserculum quæritent, gloriolamque aucupentur, quam fumi aliquid ex igne Chymicorum olfacere, ut vitam ipsam honorisq; & gloriæ culmen summum attingant. Cernimus in dies animalium omnium proclives in terram lapsus, ut vitam illam è terra decerpere possint, & in annos aliquot extendant, & nos omnes ex alimentis, quæ ex terra ortum habent succum vitalem desumimus, ergo in terra aliquid esse necesse est, quod vitæ cujuscunq; animalis sit fomes verumq; principium, quod habere poteris, vitamque verè vitalem degere, modo spagyricis invigiles artibus, quas dum meos vitæ meæ spiritus fovebit artus, summis eveham laudibus, nec floccipendam ea ratione, ut multi ajunt, quod Hippocrates, quod Galenus, cæterique medici non infimæ laudis & ingenii Spagyrici non fuerint, nec ullibi de furnis Chymicorum & eorum operationibus scripserint. Hippocrates & Galenus multa de natura nobis ignota, doctè & acutissimè scriptis mandarunt: Attamen si omnia non possimus omnes, difficiliori difficilima ratione, omnia poterit unus, unde Galenus & Hippocrates etsi primi in sua arte magistri (pace tantorum virorum dixerim) non omnia quæ ad vitam tuendam faciunt, chartis exatare valuerunt.

Miseria humana major est ex contemptu arcanorũ chymicorum.

Terra centrum vitæ est.

Nõ omnia scivit Hippocrates & Galenus.

Singuli fontes suam coercent aquam, non tamen mare totum, ex quo originem ducunt, sua cavitate complectuntur, sic homines singuli suam scientiam cerebro memoriaq; continent, at totam Palladem minimè, solus Jupiter ipsam genuit, solusq; ipsam coercere potest. Parcant ergo mihi manes Hippocratis & Galeni, si hęc dixerim, non propterea me illis doctiorem fateor & existimo, sed multo ignaviorem in disquirendis naturæ arcanis, ut claret eorum monumentis, ex quibus si quid est in me doctrinæ & scientiæ, pervigili studio deprompsi. Quod si mea scripta videantur contrariari Hippocratis & Galeni cæterorumque Medicorum scriptis, falsa id est & illegitima scriptorum meorum interpretatione: nam nullo pacto contrariantur nisi aliquando in terminis loquendi & formulis, quæ uunquam scientiam subvertunt, modo ritè intelligantur: hasce autem suscepi loquendi methodos & normas, quòd spagyricum in hoc opere agam philosophum, & medicum hermeticum. In aliis autem medicis operibus, quæ brevi in lucem editurus, modo hoc ingenii specimen gratum aliqua ratione lectoribus percipiam, diverso utar idiomate, dogmaticorumq; medicorum quantum potero, communibus terminis loquar.

CAP. XVI.

De Distillatione Animantium.

POstquam tenuissimus animantium spiritus, qui invisibiliter in ultimis eorum alimentis cõtinetur, putrefactione & solutione in liquorem mutatus est, qui tamen antea æther erat, distillatione elevandus est, ut in æthercam omnino aqueam tantùm transeat substantiam; aqueam & æthercam

dico,

dico, propter ſummam puritatem & tenuitatem, quam obtinere debet, antequam ad opus animantium ſeu eorum arcanum valere poſſit: ejus enim extraneæ partes, quibus in putrefactione & ſolutione prima turget, impediunt mirabilem & infandam illam operandi energiam. Quocirca exergendus eſt ab hiſce omnibus naturæ ſuæ eterogeneis, ut ſumma polleat virtute, & niteſcat in ſuo ſplendore mirabili. Natura in omnibus animalibus diſtillationem hanc variis molitur modis: in corde primum filtro & tranſcolatione utitur, ſepto transverſo, unà cum puro ſanguine demiſſis ſpiritibus: impoſſibile enim eſt quin ſpiritus copioſi, è ſiniſtro cordis ſpecu, in dextrum per ſeptum transverſum tranſeant, quin & ſanguis etiam craſſior multo ſpiritu tranſeat è dextro in ſiniſtrum: id autem fieri eſt neceſſe ut ſanguis admixtione illorum ſpirituũ attenuetur, attenuatusque percolari poſſit in cordis ſiniſtrum ventriculum, ut ibi majorem nanciſcatur tenuitatem, hinc poſtremò defertur ad caput, tanquam ad cucurbitam quandam ut in ea ſuprema exaltatione veluti diſtillatione, ultimam & ſupremam acquirat tenuitatem, cujus tenuitatis auxilio mirabiles & ſtupendos in animalibus producit effectus. Quid enim ratione, intellectu, memoria, voluntate, viſu, auditu & reliquis ſenſibus in natura mirabiliùs eſt? neminem exiſtimo in dubium revocare ſtupendas animalium energias & operationes, à tenuitate & ſublimitate eorum ſpirituũ dependere, quapropter huic rei probandæ, verba non impendam; dicam tamen per tranſennam quod dum morbo aliquo ſpiritus vitales è corde ad caput feruntur tenebricoſi & impuri, quòd una cum ſpiritibus miſcerentur vapores & exhalationes à putridis humoribus ſurſum elevatæ, præter

naturam quæ eorum puritatem interturbant: seorsus etiam omnes unà cum spiritibus perturbari, imò sæpesæpius eorum actiones perire, ut in histericis mulieribus evidentissimè claret: dũ enim præfocatæ manent & spiritus vitales tetris illis & obscuris uteri vaporibus conspurcantur tamdiu visu, auditu, tactu, intellectu, memoria, ut reliquis sensibus veluti mortuæ privatæ manent, donec calore interno spirituum nubes illæ evanescant, redeatq; pedetentim lumen gratum oculis, cæterique sensus suo fungantur officio & usu, spiritibus à vaporibus illis atris & suæ naturæ extraneis expurgatis. In ebriis simile quiddam apparet, geminata enim vident omnia, geminatamque in mensa lucernam, domique trabes sursum deorsumque volvi, omniaque girari, quod eorum spirituum continuitatem ab ablimenti vaporibus copiosis & vehementibus divaricati certum sit, quia mixtionem eorum vaporum fugiunt, qui etiam cum impetu ascendant impellant spiritus, spiritusq; fugientes eorum contubernium in gyrum vertuntur, circum cerebri ventriculos ascendentes & descendentes, ne misceantur vaporibus, sic etiam pari ratione, visa omnia divaricari necesse est: in gyrumque verti cum causæ visum efficientes similia patiantur. Puros ergo & puritate ipsa puriores decet esse spiritus animalium, ut eorum vita fœlix & fausta omni ex parte persistat. Ad arcanum similiter animalium habendum quo ipsa animalia foventur, restaurantur & mortua ferè reviviscunt, purissimam oportet esse eorum omnium substantiam, tum fixam, tum spirituosam: superioribus capitibus præparationes illius puritatis judicavimus, sequentibus verò obtinebimus. Hoc capite docetu methodus, fixam & spirituosam stillandi animalium substantiam,

quæ

quæ non alia eſt & diverſa ab aliis rebus ſtillandis, totum autem arcanum reſidet in ſuperioribus capitibus, ut ſpirituoſa ſcilicet ſubſtantia, quæ æther eſt & ventus aqua fiat, & ut fixa eorumdẽ materia quæ terra eſt ſalis naturam redolens, eadem etiam actione aqua fiat, hoc cùm actum eſt & obtentum reliquum quod ſupereſt puerile eſt & muliebre, ſeptenis tantum diſtillationibus elevandum eſt. Ut his omnino ab excrementis terreis & aliis à ſua ſubſtantia ætherea extraneis expurgetur, nihil aliud ſecretius hac ſeparatione continet animalium diſtillatio, quam qui fixæ eorum ſubſtantiæ calcinatione, cum ſpirituoſæ eorumdem ſubſtantiæ ſolutione & putrefactione ſimul obtinuerit, facillimè conſequetur cõmuni vulgarique rerum liquidarum diſtillatione, in aquam limpidam ardentem & inflammabilem, guſtu ſalitam & pungentem propter ſpiritus ſalis fixi in ſe ſolutos & liquidos. Hujus diſtillationis arcanum fabulis obtegerunt antiqui, Ganymede ab aquila Jovis in æthera rapto, ut diis nectar profunderet, eſſetque Jovi cæteriſque diis à caliculis. Per aquilam intelligebant humiditatem illam ſpirituoſam æthereàm, cujus raptu, fixa rerum ſubſtantia veluti Ganymedes alter in cœlum rapitur, hoc eſt in humiditatem tranſit æthereàm & cœleſtem, cujus gratiſſimo & ſuaviſſimo potu veluti nectare, Dii omnes, hoc eſt humida radicalia fixa cujuſcúmque rei foventur & recreantur: non diſtillatur enim ſpirituoſa animalium ſubſtantia, eorúmque materia fixa ſpirituoſa non efficitur niſi propter fotum & inſtaurationem materiæ fixæ, fixa enim materia nullo alio potu & cibo ſuſtineri & recreari poteſt quam ſuametipſa in alimentum verſa, alimentum autem nutrire non poteſt quin tenuiſſimum & ſubtiliſſimum ſit ut ſua tenuitate undiquaque deferri poſſit,

per singula corporis membra nutrienda, sic & natura alimentum quamplurimis vasculis attenuat, coquit, filtrat & percolat, antequam in membra & partes mutet viuentes, sic Ganymedes, nectat ambrosiámque diis porrigere non poterat quin apotheosi donaretur, raperetúrque in cœlum ut Deus fieret, Deúsque factus, cæteris ministraret, hanc ergo substantiam solutam rerum chymicarum studiosi in æthercam conuertite substantiam, distillatione septenis vicibus iterata, antequam ex ea materiam fixam itidem purissimam irrigetis, quòd in vnione & coagulatione demonstrabitur.

CAP. XVII.

De distillatione mineralium.

QVAMPLVRIMA sunt in mineralibus, quæ distillationem pati possunt, sed omnia nostrâ non egent distillatione, solum enim, quòd in mineralibus ex elementorum spissitudine spirituosum est, & vaporabile natura, indiget distillatione. Humiditates aliæ vaporabiles excrementitiæ quæ non solùm in mineralibus, sed etiam in reliquis mixtorum corporibus reperiuntur distillari quidem possunt, at distillatæ, puræque factæ arcani nostri compositionem ingredi nequeunt nisi quatenus fixæ rerum materiæ purificandæ inseruiunt. At postquam puræ factæ separantur ab ipsius corpore tanquam extranea excrementa, nihilque patitur corporis sui mixtionem quòd non sit illi homogeneum, reliqua omnia, quæ non sunt ex spissitudine quatuor elementorum segregantur antequam vniantur, omnes prædictæ operationes in actum reducuntur propter vnionem. In ea enim, quod in chymia quæritur generatur, & in coagulatione perficitur. Cæteræ omnes

omnes operationes vnioni subseruiunt, nisi enim quis sciat ducere, & prægnantem facere, & generare species nihil fit, nec aliquid peragitur. Si autem hoc fecerit maximæ dignitatis erit, inquit Hermes. Itaque gnauiter incumbendum est operationibus prædictis: nisi enim hæ ritè perficiantur in vanum laborat Chymicus omnis: vnio enim & matrimonium tincturarum celebrari non potest, quin omnes supracitatæ operationes spagyricæ ritè peragantur, quia his tantum tincturæ puræ & nitidæ habentur, ab omnibus extraneis excrementis separatæ, quibus ita puris & nitidis vera vnio physica materiæ fixæ cum materia infixa & volatili perficitur.

Insurget autem aliquis philosophiæ penè rudis, & ignauus in prædicta clamando, si Chymici omnes naturam habeant ducem, eámque imitentur vbinam locorum natura in metallis perficiendis operationes chymicas operatur? vbinam calcinat, putrefacit, soluit & distillat? caret omni vana & ventosa Chymicorum supellectili, qua chymicas operationes celebrare posset, metalláque in medijs aquis generari sæpissimè reperiuntur, & in montium cacuminibus nive & glacie canis, quibus in locis calor ferè nullus reperitur, quo mediante supracitata peragantur? Respõdemus naturam vbíque locorum in terræ finibus chymicam exercere artem: in primísque calcinare suo ignato & intrinseco igne, quo turget materia fixa metallica, quo nunquam priuatur etsi medijs & profundis madescat vndis, niuéque & glacie perfundatur: vt enim innatus naturæ igniculus, qui centro grani tritici concluditur, nive nec glacie, nec aquis extinguitur, quin tempore suo germinet & producat quamplurima grana tritici: sic & metallicus ignis potentior & validior multò gra-

tò grano tritici nullis extingui poteſt aquis, & aëris frigore nullo, quin intus materiam ſuam fixam, quam actuat ſemper operetur calcinando, putrefaciendo, ſolvendo & diſtillando, ut materiam ſuam coaptet ad ſui unionem, nec intereſt ubinam ſint naturæ vaſa, quibus materias coacervat. Loca enim omnia ſunt vaſa naturæ, quibus perficit ſuas operationes, & cœlum ipſum eſt ejus capitellum diſtillatorium & ſublimatorium, & circulatorium, in quo materiæ infixæ & volatilis puritatem conſequitur: in terræ verò centro per poros ejus materiam fixam aqua elementari ſolutam filtrat, & ab omnibus inſolubilibus depurat, eámque iterum in locis calidis deſiccat humiditatem evaporando, & calcinat, eámque calcinatam mutata loci temperie ex mutatione tempori iterum ſoluit mediante humiditate, quæ in locis ſubterraneis concavis, frigidis per antiperiſthaſim ex aëre generatur per illius in aquam mutationem. Hæc materia fixa metallica ſic ſoluta ſæpe ſæpius rivulis, & fontium ſcaturiginibus permiſcetur, unáque ſimul cum fontium, rivulorúmque undis & limphis foras defertur ad eorum ſcaturigines, mirísque virtutibus, & ſtupendis ſanandorum morborum omnium miraculis fontes illos & rivulos dotat, quorum mirantur omnes virtutes & energias. Unde autem exoriantur & ſcaturiant nemo ferè Medicorum curat. Ad cauſas occultas, locíque proprietatem, cœlíque temperiem & benignitatẽ nonnulli confugiunt. Proh dolor! tantúmne eſt in rebus inane? ut ſi quis Philoſophorum & Medicorum in disquirendis naturæ arcanis deſes & incurioſus, doctrinæ ſuæ, ſeu potius vanitati confidens, hæc ita exoriri dixerit, cæteri omnes poſteri eum ipſum ſequãtur ducem; non ſecus ac glomeratæ aves, quarum una ſi prima volet, cæteras omnes, quo volet trahet.

Aquarum thermalium virtutes unde.

Heu

Heu miseri! ullius nolite jurare in verba magistri, in arcanis naturæ cognoscendis: experientiæ tantum jurandum est huícque fidendum. Rationes enim nos sæpissimè fallunt. Quod enim rationi consonum est, nobísque tale videtur, sæpe sæpius non ratio est, sed opinio falsa penitus & erronea. Itaque si quis Medicorum & Philosophorum experientiâ ipsa cognoscere cupiat, aquarum omnium thermalium virtutum causas & energias naturales & efficientes, aquæ ipsius thermalis sumat maximã quantitatem, eámque in vasis vitreis distillatoriis sepositam temperatissimo igne septies, aut decies distillet, mutatis vasis in unaquáque vice, servatisque fœcibus, quæ in fundo alembicorum in unaquáque distillatione reperiuntur, experietur tunc temporis aquam thermalem septima aut ultima decima distillatione, virtute sua expoliari, aquæque tantum pluviali aut fontaneæ alicui alteri æquivalere, virtutem autem in fœcibus reperiet, quæ si ad supremum puritatis perducantur, granum unum illius rei, quæ in fœcibus distillationum solubilis reperitur, mensuris ferè decem aquæ thermalis recentis æquipollebit in virtute & energia, quòd aqua thermalis non sit causa materialis, & efficiens virtutem illam; sed quòd in aqua thermali solutum est, & invisibiliter permixtum, salis naturam redolens; quod in omnibus ferè aquis thermalibus non unum est, sed quamplurimis permixtum: hoc est materia illa fixa rerum omnium, quæ salis naturam habet, non ex unico & simplici est genere in aquis thermalibus, sed ex multis conflata generibus. Nam aliquando salis petræ crudi & incocti aliquid habet cum crudo vitriolo & antimonio, cum sulphureis spiritibus acidis, solutis. Talis autem aqua purgat superiùs & inferiùs ratione crudi & incocti salis, quem sibi permixtum gestat, vete-

In arcanis natura, experientia tantum non magistris artu credendum.

Ad virtutes aquarum thermalium explorandas quid agendum.

Quis est spiritus metallicus, aut mineralis qui semper in substantia salita latet.

veteráque & ferè insanabilia mala curat ratione spirituum salis infixorum & volatilium, quos poris inclusos coercet. Sunt & aliæ aquæ thermales subdulces & acidulæ, quæ materiam fixam chalcanti, seu vitrioli solutam habent, cum eiusdem vitrioli spiritibus infixis, quorum virtutes inenarrabiles sunt; propter curandorum morborum omnium excellentem energiam: & hæ aquæ cæteris omnibus thermalibus aquis præstant & præcellunt, nihil enim venenati sulphuris, & spiritus metallici secum portāt: Spiritus enim vitrioli, cùm materia sua fixa cætera omnia metallica venena, siue sint spiritus, siue corpora, profligat & extinguit. Videmus enim quòd odore suo, mercurium vulgi coagulet, & in puluerem rubicundissimum subdulcem convertat, leuissimè tantum per inferiora purgantem, si spiritus vitrioli septies distillatus, ter aut quater super mercurium optimè lotum redistilletur: Quod si eumdem pulverem eodem, sed nouo & recenti spiritu ab omni phlegmate & terreis excrementis defœcato soluere in eumdem spiritum perdiscas, volatilémque facias, & volatilem iterum figas in pulue rem clarum & mundum, rubicundissimum, medicinam habebis morborum ferè omnium curatricem: sic spiritus vitrioli venena omnia, non solum mineralium, sed & plantarum & animalium extinguit, arcanum certe, quod nullo quantumvis magno precio remunerari potest. Si quis enim à rabido cane mordeatur, scorpione, aspide, alióque alt ro animali venenato in cute lædatur, superimposito vulneri recentissimè facto, ne venenum intrò subire possit spiritu vitrioli, certo certius curatur & extinguitur vis omnis veneni.

Quarumdam aquarum thermalium virtutes.

Arcanum ad morbos omnes sanandos.

Ad canis rabidi morsum & omnes alios similes morsus venenatos arcanum summum est vitrioli arcanum.

Si quis etiam intoxicatus fuerit, vel Pharmaco naturali, vel magico, data dragma vnica materiæ

fixæ

fixæ vitrioli ab omnibus suis terreis excrementis per multiplices calcinationes & solutiones expurgata, mirabili vomitum prouocandi proprietate foras venenum pellit, & si quod est intra ventriculi tunicas incuneatum, illius veneni, quod eijci non possit in aliam mutat substantiam, eiúsque primariam mutat & tollit proprietatem.

Virtutes vitrioli.

Stupendæ sunt in vitriolo virtutes: sed cruda est eius substantia, si quis tamen Chymicorum coquere eam valeat, eiúsque amariciem & acritudinem in dulcedinem convertat, divinum certè efficiet medicamen. Ideò aquæ thermales omnes, quæ solutam vitrioli materiam fixam, eámque coctam, & subdulcem sine suo humido complectuntur, cæteris omnibus præstant, quòd materia illa fixa vitrioli humido radicali fixo auri & argenti respondeat, cui infinitas occultas virtutes tota credidit antiquitas. Aquæ autem thermales dum deferuntur per loca in quibus decoquitur vitriolum, secum rapiunt illud perfectione dotatum, quam natura tempore brevi, aut longo suæ decoctionis in ipsum indidit. Nonnullæ crudum admodum rapiunt & hæ vomitum provocant & secessum: aliæ verò & à spiritibus infixis privatum, & hæ sudorificæ sunt & urinas mouent: aliæ verò coctum & perfectum spiritibus fixis adornatum & refectum. Hæ non purgant ullo modo, sed roborant naturam tanquam cardiacum aliquod summum medicamentum, naturáque roborata facili negotio sese expedit ab omnibus morbis, quibus ex sui debilitate intricari potest.

Cur aquæ thermales habentes vitrioli solutos spiritus tantum virtutis habeat.

Sunt & multa alia penè infinita aquarum thermalium genera, quarum omnium virtutes dependent à sale fixo unctuosæ materiæ cujuscúmque rei. Non solum enim mineralia suum fixum salem illis aquis contribuunt, sed & plantæ, & animalia, & simul

Aquarum thermalium virtutes vnde deriuant.

mul omnia. Hæc enim omnia in uno ſæpiſſimè terræ antro putreſcunt, eorumque ſal fixus putrefactione depuratus, & à duris mixti clauſtris vindicatus deportatur aquis thermalibus in earum ſcaturigines. Non enim unicum habent ſalem fixum ſolutum ſemper aquæ thermales; ſed multos & omnigenas, & ut deferunt illam ſalis fixam ſubſtantiam ſpiritus etiam ejusdem ſalis, ſive mineralis, ſive plantalis, ſive animalis ſit, trahitur à ſua ſubſtantia vi magnetica, ſicque ſpiritus ſæpe habent unà cum materia fixa, materiam tamen fixam ſemper, & aſſiduè habent, ſpiritus autem minimè ſolos, cùm hi in aquis thermalibus nec ullibi perſiſtere poſſint abſq; materia fixa quin citò evaneſcant & pereant, & mutent ſubjecti inhærentiam. A natura enim ipſa hoc innatum habent, ut tali ſolùm ſubſtantiæ inhæreant in qua figuntur & in eamdem tranſeant ſubſtantiã: ſic res omnes perpetuantur in eſſe ſuo ſpiritu illo faceſſente in materiam fixam corporis, animæ & vitæ, & ſubſiſtendi ſolam & unicam radicem, ut declararatum eſt ſuperiùs.

Spiritus rerum abſque materia fixa earum conſervari non poſſunt. Vnde omnia renovari poſſunt. Fontium omnium virtutes unde dependeant.

Sunt & alia aquarum ſcaturiginem genera, quæ ad aquas thermales nomine non referuntur, quamvis earum virtutes, & apud ignarum populum miracula, ab eadem ipſa dependent cauſa, nempè vel à ſpirituoſa & fixa ſolum rerum ſubſtantia, vel ab earumdem fixa tantum, vel ſimul à ſpirituoſa & fixa ſubſtantia cum eorum excrementis igneis & terreis. Earum quamplurimæ adeò ſpiritibus ſcatent vitæ contrariis & veneratis, ut ſolo halitu animalia cuncta extinguant, & vita expolient: qualis cavernæ fons reperitur in Italia non procul à Puteolis, in cujus ſcaturigine animalia viva ſi projiciantur, illico ſenſu omnium privantur, & tandem vita ipſa, ni ſubitò in fontem alium proximum demittantur, cu-

Fontis venenati apud Italos deſcriptio.

jus

ius gratiſsimis & ſuauiſsimis vndis animalia penè vita extincta reuiuiſcunt.

In montibus Pyreneis propè lacum tempeſtuoſum divi Bartholomæi, ſcaturivit fonticulus, cujus aquas ſi quis potu hauriat quadrantis horæ ſpatio invitis remediis quibuscúmque concidit mortuus, neſcio tamen an alicubi propè fontem lateat tanti veneni remedium: natura namq; ſemper benigniſſima eſt, ubi malum, ibi ponit remedium, ut ſuperiùs dictum in Italia. Hoc ſi mihi liceat per otium, denudatis nive montibus, æſtivo tempore perquirere non deſinam, cauſámque tanti mali huc referam: & an ex plantis venenatis, aut ex mineralibus id oriatur brevi ſciam tempore, ſuſpicor tamen ex napelli maxima quantitate, quæ circa fontem adnaſcitur, id oriri, putreſcit herba ſingulis hybernis temporibus, ejusque unctuoſa fixa materia ſpiritibus adhuc ſuis occupata diſſolvitur aquæ nivis tenuitate, & defertur in ſcaturiginem, eámque ſuo ſubtiliſſimo veneno contaminat & interficit, cujus remedium neminem adhuc Medicorum inveniſſe audivi, canem ego tamen hujus aquæ potu invitum intoxicatum dragma ſemiſſe unctuoſæ vitrioli fixæ materiæ à ſubitanea illa liberavi morte. At illud vitrioli medicamentum verum eſt & unicum venenorum omnium rixotomum, cujus maxima quantitas in Regiis deberet acervari apothecis ad Regum, Principúmque utilitatem non minimam. Propè fontem prædictum ſtagnatur maxima aquarum quantitas, quæ lacum perpetuum conſtituit, quem ſuperiùs tempeſtuoſum dixi. Incolæ autem jam divi Bartholomæi lacum appellant quod in ejus monte conſtructa ſit in honorem ejusdem divi Apoſtoli Eccleſia: tempeſtuoſum autem dixi, quod turbatis, dimotíſque ejus aquis injectu lapidum tempeſtates

Fontis Pyrenei venenati deſcriptio.

Lacus Pyrene tempeſtuoſi deſcriptio.

producat ingentes, imbres, grandines, fulmina, & tonitrua, cuius stupendi effectus causa non alia esse potest, quàm spirituosa mineralium substantia intra poros illius aquæ latitans, quæ ob crustam, quam in aquarum superficie sulphuris pinguedo obduxit, frigoris ambientis aëris asperitate condensata exire liberè non potest nisi frangatur & dirumpatur crusta illa, sub cuius tegmine ingens & copiosus stabulat mineraliũ omnium igneus & æthereus spiritus. Difracta autem crusta exit cum impetu, multósque, & copiosos secum in aëre trahit vapores aqueos ex substantia stagnantis aquæ ex quibus pluvia, & grãdio fiunt. Ex oleosa, verò, & adiposa spirituosæ mineralium substantiæ parte fulgura, & fulmina, quorum impetu diverberatus aër tonitruum sonitus, & tumultus vndequaque diffundit, sicqúe in penitissimis terræ cauernis, & antris copiosi acervantur mineralium spiritus, qui sæpissimè eorum crescente acervo terram concutiunt, terræqúe motu sibi vim parant diruptis antris, multísque terræ plagis susque deque subuersis, quos statim consequitur ingens pluvia, & periculosa tempestas, grandine, fulgure, fulmine, tonitru, ventorúmque turbine maximo. Raró enim conspicitur terræ motus absque illis subitaneis aëris incursionibus. Antra illa etiam sæpissime adaperiunt, qui metallorum mineras fodiunt cum ineuitabili suorummet ipsorum damno. Illico enim igne, flamma, vapore nitroso, & sulphureo suffocantur.

Vndenam tempestas in lacu tempestuoso Pyrenensi oriatur fulgur, & pluvia.

Hinc terræmotus ingens.

Adsunt & fontes quamplurimi, qui ferrum transmutant in cuprum, vidíque in profundo mineræ Pyrenensis stagnantem aquam in cuius lacu ferrum depositum per aliquantum temporis in rubiginem mutabatur metallicam, quam violentissimo igne liquatam cuprum optimum reperiunt qui tanti thesauri

Fontiu mutantiu errum in cuprum descriptio.

ſauri ſunt conſcij: huius rei cauſam retulimus ad vitriolum, cuius maxima quantitas diluta eſt per poros ipſius aquæ. Vitriolum autem mutat ferrum ſubitò, reliquaqúe metalla longo tempore in cuprum, quod vitriolum habeat cupri ſpirituoſæ & fixæ ſubſtantiæ maximam copiam, cuius ope ferrum, quod non diſtet multùm à coctione cupri facili negotio ſpiritus vitrioli penetrant ipſum ferrum convertũt in vitriolum, quòd cum habeat ſpiritus adhuc metallicos, liquatione forti tranſit in cuprum potius, quàm in aliud metallum quia id poſtulant tunc temporis ſpiritus vitrioli propter innatam ad cuprum propenſionem.

Vndenam vitriolum habeat propenſionem ad cuprũ.

Reperiuntur, & fontes alij quorum vnda in eorum ſcaturigine limpidiſſima, & fluens ilico dum à fonte exhauritur, mutatur, & dureſcit in lapidem album, aliquid perſpicuitatis habentem. Huius effectus cauſa eſt ſpiritus ſalis intra poros aquæ dum in fonte eſt concluſus, & ſtabulans, recénſque, & novus ſemper indeſinenti, & perenni ſcaturigine aquæ adveniens, ejúſque poros implens, adeò ut quod in aqua terrenum, & lapideum eſt præſentia ſua, teneat ſolutum, & in aquam liquatum. Dum verò exhauritur aqua à ſuo fonte privatur à perenni illo ſpirituum ſalis affluxu, & quòd eſt ſpiritus in ea faceſſit in æthera, corpúſque reliquum aqueum glaciatur in lapidem non ſecus ac coralia, & margaritæ, quæ dum maris profundo radicitus adhæreſcunt mollia ſunt: at dum aëre libero perflantur dureſcunt in lapides, cuius cauſa non alia eſt, quàm ſupradictus ſpiritus ſalis, qui dum radicitus ſtipiti ligatæ remanent hæ gemmæ, eas nutrit, & auget, molléſque ſuo alimento conſervat; dum verò eradicantur, alimento privatæ tabeſcunt, & faceſcunt. Id autem ſubito fit, quia ſpiritus tenuiſſimus eſt, & ſubtiliſſimus,

Fons cuius vnda mutatur in lapidem.

Vnde coralla, & margaritæ extra centrum ſuæ produ[c]tionis dureſcant in lapides.

mius, & ut dixi in ſubjecto difficillimè coërcetur, quin ſubito mutetur in fixam ſubſtantiam, ad quam naturaliter tendit.

Fontes, quorum vn. e inflammabiles ſunt.

Scaturiunt, & alii fontes in radicibus montium, eorúmque cacuminibus, quorum lymphæ pernitidæ perpetuas vomunt flammas; aliorum verò non ignes ad oculum ructant apparentes, at omnia ignibilia in eorũ undas conjecta inflammant, & igniunt. Primorum ratio eſt quòd tenuiſſima adipoſæ ſubſtantiæ pars, quæ in ſpirituoſa rerum ſubſtantia reperitur, ut excrementum adeò ſubtilis ſit, & ignibilis ut leviſſimo calore igneſcat, flammámque concipiat, non ſecus, ac in æthera ſublímata cometæ ſubſtantia, & aliorum ignium aëriorum materia; alii verò fontes, qui non igneſcunt, niſi appoſita ignibili ſubſtantia habent quidem adipoſam, & pinguẽ ignibilem ſubſtantiam; ſed pingui ſpirituoſæ ſubſtantiæ non ignibili permixtam, cuius ratione perpetuos non vomunt ignes. Impedit enim hæc, adipoſæ ſubſtantiæ inflammationem propter ſui admixtionem, niſi apponatur aliquid combuſtibile, quod propter aquarum fontis ſubtilitatem, & penetrandi fortitudinem ab ijs aquis penetratur, & imbuitur, & in aquarum ſubſtantiam tranſire neceſſe eſt. Vnde in illa actione augetur calor, & quod eſt in materia appoſita ignibile, inflammatur in adipoſa ſubſtantia ignibili, quæ ſuos ingreſſa eſt poros, non ſecus, ac in ſalepetra fuſa, & igne liquata, quæ dum liquata eſt etſi per annum integrum violentiſsimis incubaret ignibus non igneſceret niſi apponeretur aliquid combuſtibile intra ſuum corpus fuſum. Tũc enim ſolum temporis flammas concipit, quandiu materia combuſtibilis impoſita comburitur, eáque deficiente deficit & flamma in ſalepetra tonare, eáque ratione excogitarunt materias combuſtibiles

Fontes non ignibiles, niſi appoſita combuſtibili materia.

Sali

Sali illi permiſcendas eſſe, ut tonitrua bellica, & fulmina invenirent, qui rerum humanarum malorum acervos in infinitum adaugere in votis habuerunt.

Spiritus mund. proprietates & virtutes.

Hæc omnia miranda patrat ſpiſſitudinum elementorum ſpiritus qui ut omnia foveat, ſuoque radiante lumine colluſtret undiquaque fertur per poros terræ, hisque diſtillationibus, & ſublimationibus, & filtrationibus, ab omnibus vendicatur extraneis excrementis, ut tandem uniatur ſuæ fixæ materiæ: eadem penitus ratione, qui artem Spagyricam tractat, operari indiget, ſi mineralium arcana tentare cupiat Nam eadem à natura tentantur; ſed perfici non poſſunt propter agentium tarditatem, & debilitatem, & in ſeparandis excremẽtis ſegnitiem. Quocirca indiget natura arte, ut perficiatur, & pervenire valeat quo ipſa tendit: flagrat Spagyricus artiſta, arcanum minerale, quo metalla omnia in verum aurum transmutari poſſint; ſequatur materiam ducem in auri ipſius compoſitione non ut aurum facere contendat; ſed ut auri materiam prolificam habeat ab ipſo naturæ ſcrinio, quo ipſum recondidit, & purificet ipſum quantum fieri poterit, ipſum ſepties, aut pluries diſtillando, ſic enim deponit ſua penitus excrementa, qualiacumque ſint, quibus inficitur, quibusque transmutandi perfectionem, & potentiam habere non poteſt. Mirum certè eſt, quod in tenuiſſimo ſubjecto hæc lateat ſubſtantia quinta, quæ oculis etiam lynceis cerni non poteſt, quin expolietur ſuis excrementis. Nam antequam pura ſit, & arte chymica elaborata rudis eſt indigeſtaque moles mineralis, è cujus libris ferè centum vix elicitur libra una ſpiritus puri, qui anima, qui oleum qui tinctura dicitur Philoſophorum, & libra altera fixæ ſubſtã-

Natura quaratione indigeat arte ad minerandа perficienda.

Methodus vera & certa auri faciendi hoc ſt metalla in aurum transmutandi.

Difficultas eſt maxima lapidis conficiendi.

tiæ,quæ poſt multas è minerali illo corpore ſpiritus extractiones,& diſtillationes in quacumque diſtillatione per aquam limpidam, ſolutam, vt deponat feces tandem apparet albiſſima fluens, ut cera poſtquam per omnes ferè colores, ut Polypus quidam tranſierit. Hæ ambæ tantum ſubſtantiæ ſuſcipiunt mineralium arcani potentiam poſtquam puræ factæ ſunt fixæ ſubſtantiæ fixa ſunt excrementa, & inſolubilia adeò facillimè ſeparantur per ſolutionem ſubſtantiæ fixæ, quæ non naturam ſalis habeat, liberè aquis permiſcetur inuiſibiliter apparentibus his omnibus, quæ non ſunt ex ſubſtantia ſalis, quæ aquam perturbant, atque confundunt quæque mora tranquilla in hypoſthaſi petunt aquæ fundum, ibíque acervantur, & per filtrationem ſeparantur ab aqua limpida facta ex earum ſecretione, quæ ſalis illius pretioſi & theſaurarij corpus ſinu inuiſibiliter coercet, quod tandem iterum euaporatione aquæ apparet, levíque calcinatione magis, at magis attenuatur, & attenuatione illa ab omnibus ſuis terreis excrementis extergitur, quæ, ut priùs ſolutione per aquam nitidiſſimam ſeparantur, donec ſoluatur, deſiccetur, abſque ullis ſepoſitis terreis inſolubilibus excrementis, & permaneat in fundo vaſis evaporatorij, aut diſtillatorij tamquam cera fuſa aut oleum: ſpirituoſæ verò ſubſtantiæ fixa nonnulla habet excrementa, quod fixæ ſubſtantiæ quamplurimas habeat partiunculas in ſe ſolutas, & ſpiritum factas, quarum ratione ſpirituoſa illa tandem ſubſtantia leuiſſimo calore, eóque perenni & continuo mutatur in fixam ſubſtantiam & in arcanum perfectum & abſolutum, unde non temerè dixerunt quamplurimi Chymicorum. Eſt in mercurio quidquid quærunt ſapientes. Nam ex ſolo mercurio poteſt adimpleri & perfici arcanum mine-

Quot & quales ſubſtantiæ ſuſficiant ad lapidem.

Spirituoſi lapidis ſubſtantiæ deſcriptio.

minerale ratione partium fixæ ſubſtantiæ, quas in ſe ſolutas habet, quæ quamvis ſpirituoſæ factæ ſint, tamen ſucceſſu temporis vincunt, & debellant victorem, qui eas ſpirituoſas effecerat, eúmque ligant, & fixant; ſed id multo, & longiſſimo fit tempore. Quare ad abreuiandum opus materiæ fixæ partes puræ nonnullæ mercurio jungunt puro, vi breviori tempore ambo figantur in arcanum. Habet etiam ſpirituoſa natura ſubſtantia, ſeu mercurius, excrementa ſpirituoſa aquea multa, quæ naturam aquæ fontis ſapiunt, aërea altera, & ignea, quæ adipoſam, & ſulphuream redolent ſubſtantiam, oleíque inſtar, & adipis aquæ ſupernatant dum ebullitur, in diſtillatione verò dum egreſſa ſunt in vas recipiens ſuperficiem aquæ diſtillatæ cuticulatem quarumdam tenuiſſimarum propemodum conveſtire cernuntur, quæ leviſſimo aquæ motu, in in tenuiſſimas deſiliunt bracteolas, quæ undiquáque per aquam convoluuntur tanquam atomi per aërem hæc accuratiſſimè ſeparari debent, ſunt ignibilia ſulphurea excrementa mineralium, quæ perfectionem in metallis retardant, & hæc ſunt excrementa, quæ natura ex mineris ſublimatione tollit, ex quibus ſulphur combuſtibile, vendibile, commune efficitur, quod ſæpe ſæpius per montium poros exſudat in nivem ſubflauam, quæ flos ſulphuris dicitur. Sulphur enim commune à nullis aliis cauſis materialibus dependet, quàm à natura iſta adipoſa & pingui combuſtibili, quæ ſemper materiam ſpirituoſam incombuſtibilem, dum cruda eſt & imperfecta comitatur non ſolum in genere minerali, ſed etiam animali & plantali. In animali pinguedines & axungias efficit, & in plantali gummas, ut ſuperiùs dictum eſt. Hoc autem ſulphur in omni genere arcanorum ſeparan-

Qua ratione ex mercurii ſolo philoſophorum poteſt fieri lapis.

Cur fixa, oleoginoſa ſubſtantia mercurialis adhibeatur operi lapidis.

Excrementa ſpirituoſa, in ſubſtantia notantur.

Sulphur commune, & vulgare ex quibus generetur.

Exungiæ & gummæ unde fiant.

dum eſt. Separatu autem facilè eſt, quòd in diſtillationibus ſupernatet aquæ, aut olei inſtar, aut cuticulæ cujusdam adipoſæ propemodum, quæ duo facillimè filtro ſecerni poſſunt, ut aqua ſola penitus niteſcat, Poſtquam autem hoc adipoſum excrementum, reliquaque omnia tum terreatum aquea excreta fuerint, diſtillatio Spagyrica completa erit, & ſufficiens, ut aliæ ſuperſtites operationes peragantur, & ad finem perducantur: in primis ſublimatio, quæ absque diſtillatione præcedenti celebrari non poteſt. Corpus enim immundos non ſuſcipit ſpiritus; nec ſpiritus immũdo gaudet corpore. Quocirca ambo puriſſima eſſe oportet, ut uniantur invicem, unitaque ſimul rapiantur in æthera, ut ultimam acquirant puritatem. Hanc utriusq; corporis tum fixi tum ſpirituoſi puritatem commendarunt omnes Spagyrici Philoſophi, & præſertim Morienus his verbis, ſi corpus immundum perfectè non mundaveris, & illud non deſiccaveris, neque ipſum bene de albatum reddideris, & in illud animam non miſcueris, & ejus omnem fœtorem non abſtuleris, donec poſt ſuam mundificationem tinctura in illud decidat nihil penitus hujus magiſterii detexiſti. Studendum ergo eſt, & incumbendum diſtillationi; hac enim ſola ſupracitata obtinentur calidum humidum à ſiccis frigidis terreſtribus non fundentibus, & ab humidis frigidis, & ab humidis calidis combuſtibilibus ſeparatur, & ſegregatur quæ ſunt excrementa quibus expoliari debet calidum illud humidum incombuſtibile, quod mercurius eſt philoſophorum & humidum radicale metallicum volatile, quod purum diſtillatione factũ jungi debet frigido ſicco liquabili, & incombuſtibili, quod eſt humidum radicale metallicum fixum, in quorum duorum unione per-

Sublimatio vera qu modo vere fieri debeat.

Morienus ſuo er…lari libro de lapide Philoſophorum.

Diſtillationis utilitates.

Humidum radic e metallicum qua e volatile.

perficitur mineralium arcanum, de quibus solis celebrari potest earum naturarum calidi, & humidi cum frigido, & sicco subtili dispositione admirabilis illa Moriena commixtio, in qua Azoch, & ignis sufficiunt. Azoch est illa commixtio humidorum radicalium, quam perpetuus, & perennis; sed levissimus fovet igniculus, usque ad ultimum suæ perfectionis gradum. Humidum illud calidum radicale, volatile metallicum suo interno, innatoque calore levissimi caloris externi fotu excitatum, humidum fixum alterum digerit, coquit radicale metallicum, & ad ultimam perducit perfectionem, qua nihil in tota rerum natura, anima rationali excepta, præstantius, nobilius, & perfectius igne solo perficitur, unde ejus filia, legitimaque nata Vulcanica dicitur, quam, qui viderunt, & possident totius hujus mundi thesauros negligunt, & spernunt, solumque Deum amandum, timendum, & venerandum existimant, seque suaque omnia illi solo devovent & consecrant, tanquam totius, soliusque humanæ fœlicitatis culmini. Non enim quidem certo certius existimo, homini aliud beatius fortunatius contingere posse arcano isto, & divina cognitione. Reliqua enim omnia, quæ fortunæ bona habentur periculis gravibus, malorumque acervis adeo magnis implicantur, ut in malorum numerum recenseri potius mereantur, quàm aliquid boni coerceant. Magistratus, regna & imperia lancinantibus & acribus vexantur fortunæ stimulis, quibus eorum omnium beatitudo, si quæ sit, dolori miscetur acerbo: at Chymico fœlici, arcanoque fruenti quis dolor; aut quis fortunæ casus contingere possit? quin subitò subvertantur, & tanquam fluctus immotum scopulum ferientes absque læsione evanescant. O fœlices, terque, quaterque fœlices,

Humidum radicale metallicũ fixum quale.

Lapidis physici arcanum in quibus cõsistat.

Operis physici declaratio, & demõstratio.

Hominis Deo excepto quale humanum bonum.

Chymici fœlicitas & beatitudo.

lices, qui rerum indagine docti cæteris missis omnibus hac fœlicitate tandem perfrui omnia conatu nituntur; etsi ab hominum plebeia fece & amurca, stulti & insipientes videantur. Sunt enim hæc semper convicia supremæ virtutis onus & honor, quibus affici non gravandum est, nec ea propter à virtutis tramite deflectendum: ut verò tandē à chymico splendore deleantur, hoc opus in lucem edidi, & omnibus absolutum numeris dedi benevolis lectoribus quantum potui per ingenii mei acumen rude.

CAP. XVIII.

De Sublimatione in communi.

Sublimationis ethimologia. SUblimationis nomen satis per se indicat definitionis illius essentiam: apud Latinos enim nihil aliud sonat, quam in altum evehere, & metaphoricōs ad honores sublimare, & honore gloriaque sublimiorem virum dicimus. Unde pari ratione, similitudine hinc desumpta definitionem chymicæ sublimationis desumemus, & veluti, qui honore, gloria, virtuteque sublimes sunt, à reliquorum hominum turba, præstantia summa distinguntur. Unde quasi electi sunt & segregati ab hominum fece: sic ea quæ in vasculis Chymicorum sublimantur ab omni elementari fece elevatione mundantur & segregantur, & ut homines virtute sublimes cæteris in perpetuis prænitent sæculis; sic & sublimata chymica reliquis elementorum mixtis, & compositis nitore præfulgent in æternum. Quapropter definitionem necessariam sic construemus.

Sublimatio quid. Sublimatio nihil aliud est, quàm fixi humidi radicalis cuiuscunque rei à sua terrestri fece igne operante elevatione segregatio nivei, aut rubei coloris

loris fusionisque facillimæ, vel fixi humidi radicalis cum volatili permixtio, & unio præcellenti adeo volatili, ut fixum omnium volatile fiat, vel fixi volatilis permixtione in volatile conversio & permutatio. Hæ omnes definitiones in unam confluunt definitionem, omnesque singulas conditiones in chymica arte sublimandorum omnium cōplectuntur. Per primas particulas intelligitur quid in re chymica solum debeat & possit sublimari. Nam in mixtis omnibus latet aliquod purum in quantitate minimum; sed in virtute & energia maximum, fixum & permanens æthereum & igneum, cujus gratia, cœlum, ætheraque petere debet, ut suis decoretur facultatibus. Reliquum verò quod inest mixtis, cùm terrestre sit & feculentum, ejusque naturam non sapiat in altum evehi nulla artificiosa operatione potest. Imò impedit ne aliud sublimetur, tantique facit illius connexus & amplexus, ut nisi cum eo subtiliter & pedetentim agamus, purum illud adeò expectatum nunquā habimus. Unde non immerito Hermes clamat in tabella sua Smaragdina, separabis terram ab igne, subtile à crasso subtiliter, & magno cum ingenio: quibus verbis explicat Hermes non sublimationem, ut putant nonnulli, sed primam mercurii necessarii à terra sua, seu à puro illo fixo extractioné cum fecum terrestrium ex terra necessaria sublatione, in qua sola operatione crassum illud maxima in copia à subtili illo hermetico segregatur. Aliæ verò particulæ reliquum omne, quod in mixtis est impurum & terrestre à sublimandis excludunt propter impossibilitatem eorum ad sublimationem depurari quidem possunt, & fusionem quandam habere, at sublimari minimè, quòd eorum materia vitrificatur potius quàm elevari possit, quod

Purū tantum quod latet in mixtu sublimādum est.

Verborum Hermetis explicatio.

In mixtis quod nō est ex natura puri illius humidi radicalis sublimari non potest, sed potius in vitrum vertitur.

quod in furnis vitrariorum cernere licet. Nã massam illam cineream præparatam, & in panes concinnatam, dũ calcinant & fundunt, terrestre quod est & feculentum, & spissitudinem elementorum non sapiens, quæ in salita substantia residet, & latet, abit, & facessit in vitrum.

Purũ chymicum in quibus quærendum.

Aliud verò elementorum spissum in quo necessarium purum quærẽdum est, abit in salem, quem supra vitrum natantem instar olei colligunt & separant, ut reliquum quod superest in vitrum duci possit. Unde qui vitrioriam callet artem, non ignorat totum separationis chymicæ fundamentum & principium modo non cæcutiat in physicis cognitionibus. Mirum certè est, quod hæc ars sola ignis operatione qualitates ipsius terræ purissimæ in suo esse, & ab aliis elementis separatæ nobis sola mentis operatione visibiles oculis ipsis præmonstraverit, & Philosophis Chymicis arcana Dei sibi soli, quasi reservata revelaverit.

Post generatã mũdi conflagrationẽ terra qualunam erit potest colligi ex vitraria arte.

Nam hinc colligere licet qualisnam terra erit, post conflagrationem universalem hujus mũdi, & quanam ratione hęc conflagratio fieri debeat, si ratio physica in statutis divinis, & decretis haberi possit.

Quare Deus in suo judicio superno & generali mundum hunc totũ teret, & igni tradet elemẽtari.

Alias enim Deus in hominum genus ira dignissima concitatus totum quasi aquis submersit, vitæ autem & fomitem in terris ipsis conservavit, neque ipsa aqua poterat actione sua eum suffocare naturaliter, cùm ipsa non sit adeò potens ad separandum ipsum vitæ spiritum, ejusque dimovendam sedem, quam Deus terræ fortissimo vinxit. Id etiam erat summè necessarium ad reliquos homines futuros, aliaque animalia adventantis sæculi sustentanda. Post conflagrationem autem universalem non erit opus tali spiritu, cùm non erit vivẽs nec germinans super terram. Unde hic spiritus, ejusque sedes; hoc est formæ à solo igne tanquam

poten-

potentissimo, & elementorum omnium aptissimo ad faciendam hanc separationem segregabuntur, & commovebuntur à terra, & perfectè coquentur, & fixabuntur partibus præcipuis, & integrantibus totius mundi unientur. Cœlum, astra, elementa, & corpora Beatorum suas singula desumūt partes puras, & ab omni alterationis potentia vendicatas, hincque recuperato copiosiori vitæ spiritu, cœlum, astra, & elementa omnia fulgebunt clariùs, & nitebunt, & quia coctum, fixum, seu omnibus numeris absolutum possidebunt, quiescent in perpetuas æternitates, cùm ad fixandum, & ad coquendum, & perficiendum illum vitę spiritum terræ inclusum, hinc inde moveantur non dissimili ratione ac cor movetur, dum vita in corpore servatur, ad vitam perpetuandam refocillatis spiritibus innatis partium omnium vitalibus infixorum & crudorum spirituum suorum adventu & affluxu. Desinet ergo omnis motus tunc temporis, quia natura finem perfectum adipiscetur ultimum, eoque gaudebit, motus enim naturæ est propter illum finem; eo adepto quies aderit toti naturæ puræ & perfectæ: impuræ verò & imperfectæ æterna erit maledictio, & cruciatus æternus ob mortem, quam perpetuò patietur, quæ in impuritate consistit. Itaque occulta miranda totius naturæ detegit Alchymia desumptis ex operibus suis, quibusdam certis conjecturis, quibus ad penitissima illa & abstrusa naturæ arcana devenimus, ut ex sublimatione illius puri, quod in centro cujuscunque mixti reperitur, ejusque coagulatione & fixione colligere possumus certissimè qualisnam sit materia cœlestis, & an genere differat à materia sublunari: in primis non differre colligimus multis chymicis argumentis seu potius experientiis, quod omne quod reperitur

Cur cælum & astra, & omnia elementa post judicium universale fulgebunt clariùs quam nūc temporis.

Calorum omnium motus desinet post universale judicium & cur.

Natura pura cur quies aderit summa post judicium & impur. cur maledictio.

Materia cælestis qualisnam sit, & an differat à sublunari.

ritur cœli in mixtis elementatum, & mixtum factũ in ultima eorum resolutione cristallinam habeat serenitatem & nitorem, aut stellinum, aut planetinum splendorem. Mixta enim quæcunque sint purum illud quod continent, in quo cœli virtus & energia implantatur, post ultimam & perfectã purificationem adeò nitidum & splendidum habent, ut cœli frustulum, aut alicujus planetæ portiuncula esse videatur potius, quàm mixti alicujus elemẽtaris membrum. Prætereà omnia terrena, quæ sibi puritatem quandam vendicant nonne cœlestem illum fulgorem imitantur? Carbunculus nonne solis fulgoris aliquid sibi surripuit? Adamas nonne Lunæ, smaragdus Martis, turchestia Saturni; ametista Veneris cristallus Mercurii splendorem sibi vendicarunt, & energiam sympathicam? flores denique omnes, qui mirabili veritatum colore depicti universam terram, non secus, ac stellæ cœlũm decorant & illustrant tenuissima, & volatili spissitudinum elementorum parte efflorescentes, nonne aliquatenus nitorem illum cœlestem sequũtur, quod ex purissimis mixtorum partibus oriantur? cortices verò arborum & plantarum, quòd ex impuriori & crassiori enascantur parte, nonne tenebras sequuntur & noctem? nihil lucis habent, & splendoris, quòd crassum illud & impurum incapax sit luminis & nitoris. Id in metallis elucet omnibus, quæ quò puriori formantur materia eò nitidiùs elucent terrarum antris. Totius istius difficultatis ambiguos solvunt mæandros lympyrides, vermiculi illi, qui verno & æstivo tempore noctu herbarum foliculis, terræque speluncis, veluti nitẽtentes cœlo stellæ splendescunt & nitent, quorum vermiculorum firmum ventris, ubi alimenti, quod capessunt ad vitam sustentandam, digestum & depura-

Argumẽta varia quibus probatur cœlestẽ materiam esse ejusdem generis cũ terrestri seu elementari.

Lampyrides unde fulgeant.

pura-

puratum eſt, ſmaragdinum imitatur, & ſuperat lumen. Si ergo in elementorum infimo mixta reperiantur, & efformentur ex elementorum miſcendis, & uniendis ſpiſſitudinibus, quæ cœleſtes fulgores ſequuntur, & imitantur? nonne cœleſtia corpora eandem, & ſimilem genere cum inferioribus elementorum mixtis, materiam habere chymica arte demonſtratum habemus & apertum? Cœlumque ſi nitidiùs elementis fulgeat hoc ſolum eſſe, quod ex ſubtiliſſima & puriſſima materiæ primæ particula creatum fuerit & effigiatum? elementa verò ex craſſiori & ſpiſſiori ejus parte, in qua cum adhuc ſint partes aliis puriores, ideò mixta quædam puriora aliis generantur, quod puriores ſequantur partes ſpiſſitudinis illius elementorum ex qua efformantur, quod & in cœlo etiam totius naturæ conditor obſervavit ex ejus puriori parte cui ſubtiliſſimum ignis, & terræ præcellebat Solem efformavit, & planetas omnes; ſed Soli lumen, & lucem actu impoſuit ex copioſiori & fortiori fixa ignea illa ſubtili materia efformato. Cæteris autem planetis & ſtellis nullum impoſuit lumen, diminuta eorum omnium ignea natura, æthereaque, terreaque adaucta, qua ratione tantum remanſit in eis potentia quædam, & aptitudo Solis radios, & lumen recipiendi, quo nitent, ac Soles parvi, terramque infernam colluſtrant mutuato eorum à ſole lumine, niſi enim mutuatum eſſet, & ſubreptitium terram combureret omnem; etſi longè minori efficacia & energia: at à Sole ab eorum corpore primitus in terram effunderetur, nec aëris infimæ regionis frigiditas, nec aquæ humiditas hæc coercere poſſent, tantus eſſet eorum omnium in unum actus effectus Cæteræ verò cœli partes, quæ lumen Solis oculitus nō retinent ſubtiliſſimā ſpiſſitu-

Cœlum ex qua materia creatū, & cur elementis præniteat.

Sol ex qua materia efformatus.

Cur planetæ non fulgeant ex ſua eſſentia.

Cœlum cur nō fulgeat.

ſitudinis aëreæ, & aqueæ partem cæteris aliis terræ, & ignis partibus præcellentem habent, & veluti fontis alicujus pernitidà lympha, criſtallique gemmæ ſolis radios non coercent; ſed intromiſſos diffundunt absque ulla, aut minima luminis repercuſſione facta: aurum verò, perpolitique chalybis, & ferri enſes, & arma, ſpeculaque lumen repercutiunt majori ſplendore, caloreq; ferventiori, quod eorum corpora terreis, ſeu ſolidis, non diaphanis qualitatibus decorentur; non diaphanum enim, ſed politum & nitidum, & coruſcans repercutiendi poteſtatem habet, quod luminis radios non in ſeipſum intromiſſos foveat, ſed coruſcanti ſuâ ſuperficie remittat ſplendidiores: ſic cœli cæteræ partes ſe habent ſolis lumini, ipſum fovent, & in ſe recipiunt absque reflectione ulla, quòd diaphanum habeant corpus: ſtellarum verò corpora, & planetarum omnium diaphanas, & translucentes non habent qualitates, ſed pernitidas, ſolidas & compactas, ſuntque cœlo, veluti ſpecula annixa, ſolisque radios excipiunt, & transmittunt inflectendo.

Stellæ & planetæ corpus non habent diaphanum.

Huic doctrinæ refragari videtur communis Peripateticorum doctrina, quæ ubique locorum acerrimè tuetur cœli ſublunariumque omnium diverſam eſſe materiam, quam ſententiam ſtabiliunt multis argumentis, & præcipuè ſequenti, quod ex ipſomet Ariſtotele de generatione cap. 7. deſumũt, quæ nequeunt mutuò, & reciprocè inter ſe agere, & pati communem, & eandem non poſſunt habere materiam; contraria enim ſic inter ſe eſſe non poſſunt, cum actio, & paſſio contrariorum tantum ſit, & contraria etiam in eodem, in communi ſint genere. Cœlum autem, & ſublunaria invicem agere, & pati nequeunt. Cœlum enim incorruptibile eſt, & immutabile: ergo neceſſe eſt etiam, ut peculiarem

Argumentum quo probatur cœlũ habere diverſam eũ elementis materiam.

liarem quamdam habeat materiam à sublunaribus differentem.

Majorem ex omni parte concedimus, & probamus, minorem explicamus, dicimúsque cœlum incorruptibile quidem, & immutabile, in seipso esse, & permanere, sed cœli spiritus, qui est tenuissimum quid cœli infixum, & volatile, quod per radios stellarum, & planetarum sublunaribus infunditur, & jungitur tenuissimo elementorum spiritui, qui isdem genere, & substantia facilè illi permiscetur, & fit unum quid cum illo, quod spiritus mundi dicitur, quatenus iste spiritus varias habet mutationes, & alterationes, dum formatur in substantiam mixtorum; eatenus dicimus cœlos esse mutabiles & corruptibiles, & agere, & pati simul cum sublunaribus, & proinde habere unam, & communem materiam cum qua genere conveniunt, & specie differunt, & contraria sunt. unde mutuas inter se habent actiones. Quod ita se habere est certissimum, si cœlo ad generationem mixtorum concurrant, mixtáque reperiantur nonnulla, quæ Solis naturam, alia verò quæ Saturni, quæ Martis, quæ Jovis, quæ Lunæ, quæ Mercurij sequuntur naturam, & imitantur. Non possunt enim eorum omnium sequi naturam, quin, & in eorum generatione cœlo delapsum sit aliquid, quod Solis, Saturni, Martis, Jovis, Lunę, aut Mercurij non sit; nec mixtum fieri, quin proprietates, & conditiones omnes patiatur, quæ cum mutationi, & corruptioni obnoxiæ habeantur, illud pari ratione corruptione, & mutatione inficiabitur. Cœlum tamen à quo defluit virtus illa, & spiritus per luminis radios incorruptibile est, & immutabile, non secus, ac materia natura unctuosa, fixa cujuscumque rei, quæ etsi varias, & omnes in se suscipiat generationes ab spiritibus in eas introductas, tamen

Solutio.

Cœli qua ratione corruptibiles.

Quibus cõstet spiritus mundi, & unde fiat.

Argumenta quibus probatur cœlum reperiri in mixtis, & eatenus dari aliquid quod ex cœlo est corruptibile.

ſemper manet ipſa, & reperitur ſpiſſitudo fixa quatuor elementorũ, quæ materiæ primæ effigiẽ gerit, & rudimentum. Sic cœlũ admittimus immutabile, & incorruptibile, & tamen miſceri, & mixtum fieri unà cum ſublunaribus abſque ulla contradictione aſſerimus, quod dilucidius declarabimus capite de unione cum ſympathiæ, & antipathiæ cauſas, odij, & amoris patefaciemus. Huc verò referemus quomodo cœli facti ſunt ex abyſſo. Naturæ Deus ex abyſſo lucem ſeparavit à tenebris, ex luce factum eſt firmamentum, & cœlum, ex tenebris elementa, ſeu ſublunaria; nec arguendum eſt cœlum in primis, & terram, ex ſacris literis creata fuiſſe, quia etſi verba id ſonent formaliter, tamen ſenſus, & intellectus alius eſt, ut conſequentia verba indicant. Per cœlum, & terram intelligo abyſſum, ſeu materiam primam, quam Deus primitus creavit. In qua cœlum, & terra confusè mixta erant, ut indicant verba, terra erat inanis, & vacua, tenebræ erant ſuper faciẽ abyſſi, diviſit lucem, à tenebris. Deinde fecit firmamentum, & congregavit aquas in unum, ut appareret terra, cui præcepit, ut germinaret, & fructum ferret. Quæ verba apertiſſimè demonſtrant cœlum, & terram, quæ Deus in primis procreavit, eſſe quid mixtum confuſum, & non ſeparatum, & diſtinctum, quod deinde conſequenter ſeparat, & diſtinguit; ex luce ergo, quæ ſopita, & obtenebrata erat in abyſſi centro; hoc eſt ex puriori, & mundiori materiæ primæ parte, quæ ob ſuam puritatem lucis nomen ſibi vendicat, Deus cœlos fecit, quos tanquam ſubtili, levíque materia fabrefactos in altum ſublimavit, ſpiritúmque indidit ex eadem materia, quem in cœlum non induravit; ſed permeabilem, volatilem, undequaque penetrantem conſervavit, ut eius ope cœlum in inferiora ageret, ſicque eſſet

Cœlum etſi immutabile qua ratione mixtũ fieri poſſit.

Cœlum quomodo factũ ſit a Deo.

Per cœlum & terram in ſacris literis, quid intelligatur.

Qui propter eius ſubtilitatem & materiam dicitur mundi anima.

esset perpetuum rerum inferarum, & supernarum commercium. Hoc apertissimus verbis, & doctissimis docet Mercurius Trismegistus in Pymandro cap.3. erat enim umbra infinita in abysso; aqua insuper, & spiritus tenuis intellectualis per divinam potentiam in chaos inerant. Floruit autem splendor sanctus, qui sub arena, & humida natura elementa deduxit; cúmque indistincta fuissent, levia postmodum in excelsam regionem pervolarunt, gravia sub arena humida resederunt, distinctis, libratísque rebus, quæ igneo spiritu vehebantur, emicuit cœlum septem in circulos: hactenus Mercurius, quo nihil clarius doceri potest, Elementa, & cœlum ex eadem natura esse deducta.

Mercurius Trismegistus in Pymandro.

Cœlum ex igneo spiritu.

Hanc separationem adhuc rudi quodam exemplo demonstrant Spagyrici Philosophi dum res sublunares sublimant: cùm enim in his omnibus sit aliquid subtile, & grave, quod subtile est sursùm pellitur clarum, & perlucidum: quod grave autem est, deorsum detruditur nigrum, & obscurum tanquam cœlesti lumine denudatum, seu suo subtili, quod lucidum, & splendens semper est, quod est eorum arcanum præcipuum, quod tanti fecerunt antiqui omnes Spagyrici, ut id ænigmatibus tantum, & fabulis depictum cartis exararint. Fabula enim Antæi terræ filij nihil aliud indicat, & cortice suo duro nihil aliud, quam sublimationem illius puri, quod in cineribus, terreísque partibus cujuscúmque rei clauditur, & occultatur. Dum enim Hercules ille hominum omnium fortissimus, ipsum à terra sublevando in æthera suffocavit, & vicit, quotiésque terra prostraverat vita recuperata, pugna redibat. Quod etsi fabulosum videatur, attamen verum quid est, & minimè fallax Chymicis omnibus sublimationem demonstrans qualem esse debere, &

Subtile & igneum sursum naturaliter tendit.

Fabula Antæi explicatio.

in æthere ſolo fieri poſſe, vt Mercurius mori poſſit, & ab omnibus terreis excrementis expoliari, & præterea Chymicum Philoſophum Herculem virum eſſe debere minimè infauſtum; ſed Dijs natum, & fœlicem cui omnia rideant, & cedant laboris improbi patientem, cunctantem potius, quàm tumultuarijs operationibus, & ſubitaneis occupatum, & deditum, prudentiſſimo ornatum ingenio, tantæ molis eſt chymicum onus, ut Athlanteas vires, Herculeúmque robur expoſtulet, tum animi, tum corporis. Nam ſi morbi adſunt, nec durum ferre laborem poſſit, etſi non animo valeat & ingenio, alio ferat mentem quæſo, ne oleum & operam omnino perdat. Non omnibus enim licet adire Corynthum, nec Atalanta fruuntur; ſolus Hippomenes oſculo eius gaudet. Itaque videant omnes, & æqua mentis lance perpendant, quid eorum valeant, & utrum recuſent onus ſibi impoſitum, ne poſtquam mare colchicum tentaverint medijs pereant in undis, aut flammivoris uſtulentur tauris, & draconico extinguantur veneno: ſicque vellus maneat inexpugnabile, vaníque eorum conatus & irriti: videant ergo quicumque chymicam tractant, quid quærant, quid voluant, quidque velint, & antequam manus imponant operi, ſciant quo pacto laborandum ſit; ſi Colchos tendant itineris colchici vias, & ſemitas omnes aprimè perdiſcant, ne aliorſum tendant, & naufragium faciant, pereántque, veraciſſimámque exiſtiment artem, non circunforaneam & falſariam, quod aureos polliceatur montes, & hinc quotidie naſcatur ridiculus mus, ut multi alioquin docti viri, qui neſcio qua puerili doctrina imbuti pertinaciter hæc ſuſtinent, artificum ſunt, hæc non artis, ut antea dixi. Vera eſt omnino hæc ars, ſed occulta, & propterea difficultates ingentes habet, quarum ope, & auxi-

Chymici conditiones, & qualitates per Herculem indicata ſunt.

Studia Chymicorum qualia eſſe debent.

Alchymia quare diſpendia pariat.

auxilio diffidentiam mortalibus parit, quibus latentia diffidentiam pariunt, patientia autem eos delectant; sed hæc ex sententia Trismegisti in Pymandro cap.4 mala sunt omnia, bonúmque occultum ijs, qui manifestis incumbunt.

Occultum semper est bonum.

Cap. XIX.

De Sublimatione Vegetantium.

Res omnes sublimari possunt, quod purum illud, quod supra disputavimus intra se coerceant. Nam illud attenuatum, & à fecibus suis omnino depuratum in altum vi ignis in vasculo ad hoc comparato evehi potest mercurij humidi volatilis auxilio, cujus maximam quantitatem, & copiam obtinent omnia vegetantia in humido pingui ignibili & inflammabili, ut antea dixi. Desumunt enim ipsum immediatè, ex communi omnium viventium promptuario, quod est terra. Hinc fit, quod & in lapidibus omnibus, & mineralibus, & vegetantibus cunctis plus sit spiritus elementorum tum fixi tum volatilis, quàm in animantibus, quod animalia vivant ex alijs, & non immediatè desumant illud vitæ nectar ex sua radice, ut reliqua omnia. Illud ergo humidum volatile summè depuratum ab humidis, & aqueis suis excrementis, ut demonstratum est capite de distillatione, est causa præcipua sublimationis. Fixum enim quod est & permanens in vegetantibus, & reliquis omnibus elementatis volatile fieri non potest, quin in alterius substantiam transeat. Hócque fieri nequit, quin volatile agat in fixum, suáque superanti, & vincenti actione convertat in seipsum, ut naturali quodam instinctu insitum est, & comparatum omnibus agentibus. Miscendum ergo est volatile vegetantium unctuosum, fixo eo-

Sublimationi omnia possunt credi, & dari.

Vegetantia humidum pingue habe t mult-um.

Cur in lapidibus plus sit vitalis spiritus, quam in reliquis elementatibus.

Sublimationis præcipuum intentum.

rumdem unctuoso, tandiúque continuo igne, & levi simul mixta fruenda sunt, donec unum fiant inseparabile: in hac autem unione, at in earumdem separatione apparent omnes colores, quod mirum est, quódque mirandum antea declaravi, ne opus imperfectum, & quasi incoatum inexpertes Spagyrici perfectum, & absolutum existiment ex coloribus, qui in hac operatione apparent. Id enim solet exoriri ex cruditate, quam inducit mercurius volatilis, & infixus mercurio fixo, dum enim ipse infixus & incoctus cocto miscetur, & coquitur coctionis suæ indicationes habere necesse est, quæ nullæ aliæ sunt, quàm colores, qui coctionis perfectionem, vel imperfectionem demonstrant. Id in lapide perfecto, & omnibus numeris absoluto demonstratur. Si enim mercurio crudo & incocto, seu volatili, & infixo misceatur, eóque dissolvatur, ut eius virtute quantitas & energia augeatur, & crescat, reincrudescit coctus ipse lapis, & inter coquendum iterum apparent omnes colores, ac si numquam apparuissent, coctúsq; numquam lapis fuisset, unde quoties aqua sua mergitur, toties moritur, totiésq; coctione subsequenti continua, & levi regeneratur, & vivit, novásq; & maiores acquirit vires, ut videbimus capite ultimo istius operis, ubi de multiplicatione arcanorum omnium agemus.

Colores varij in arcanis chymicis.

Arcanorũ chymicorũ simul mplicatio & regeneratio unde, & qua ratione fiat.

Postquam autem unita sunt ambo, & unum facta, apparet albus color, aut citrinus, si coquendi continuitate ignis in mixta, & unita agat: túncque temporis adaucto igne potest fieri sublimatio nostra tutò, ac sine errore ullo. ascendunt fumi albissimi, nec in aquam resolvuntur, quod unctuosum fixum sua siccitate, humidum, & aquosum unctuosum coagulaverit: vnde non guttæ ullæ cadunt pluviosæ; sed salis chrystallini flosculi nivis instar lateribus vasis suspédun-

Quo tempore sublimatio chymica tuto fieri possit.

duntur; non secus ac si mercurius vulgaris vendibilis, ex sale petra, & vitriolo simul mixtis sublimatus fuisset, nec est impar eorum similitudo; ob quã item Chymicorum quamplurimi sub sublimatione cõmunis mercurij, hanc occultam sublimationem obtexerunt, in primis Geber Arabum Princeps & moderator, capite nonagesimo libri tertij, ubi inquit totius operis intentionis summa est, ut sit natur lapis in capitulis notus. Deinde verò cum operis instantia assiduetur super illum opus sublimationis primi gradus, & per hoc mundetur à corrumpente impuritate, donec in ultimam subtilitatis puritatem deveniat: quibus verbis non intelligit Geber acutissimus mercurij vulgi sublimationem, etsi in præcedentibus capitulis hanc apertissimis docuerit verbis. Nam autem totum occultavit ubi magis apertè locutus est, ut ipsemet asserit capite 91. lib tertij, sed intelligit hanc naturam de qua loquimur sublimationem, quæ omnes alias operationes complectitur, ut ex verbis Gebri antea citatis colligere licet. Nam etsi coagulare strictè sumpto vocabulo non sit sublimare quod in uno volatile fiat fixum, in altero verò fixum fiat volatile, quod ex seipso contrarietatem sonat Attamẽ quia sublimare latè sumpto vocabulo est ad perfectissimum, & ultimum naturæ finem deducere, quod solum in coagulatione perficitur, ea ratione sublimare coagulare est, & coagulare sublimare. Quod autem in coagulatione cæteræ lateant operationes clarissimum est, quod operationum ultima sit, in eáque terminentur omnes, & in fine omnia sint, & propter ipsum omniá. Vnde non immeritò antiqui Spagyrici coagulationem, & sublimationem supra cæteras omnes spagyricas operationes commendarunt (quod hæ arcani sint limites) sublimationem præcipuè. Nam absque

Gebri textus de sublimatione.

Geber quibus locis aperte locutus, in quibus occultaverit.

Sublimare qua ratione coagulare sit.

Cur in coagulatione cætera lateant operationes.

Sine sublimatione coagulatio fieri non potest.

debita sublimatione coagulatio firma,& permanens fieri non potest, cùm nisi sublimatum fuerit arcanum necessarium, levissimæ non poterit esse fusionis, quod mercurij crudi & aquei, seu humidi quantitatem maximam & proportionatam non habuerit: is enim solus fusionis est præcipua causa, si auté non citò fundatur penetrare in intima metallorum corpora non poterit, nec hinc sua imperfecta coquere, seu perficere corpora Hinc est, quod nisi sublimatio recta fuit, totum perit arcanum, & anihilatur, sublimationi ergo necessariò incumbendum, ut arcana chymica perficiantur, & absoluantur in vegetantium genere tempore veris aduentante sole, dum ipse calore suo vivifico constipatos corporum vegetantium frigore hyberno poros reserat. Reperitur quoddam, & demonstratur sublimationis necessariæ rudimentum. Flores enim arborum omnium, & plantarum dum ante fructus efflorescunt, nihil aliud testãtur, quàm subtilissimæ spissitudinum elementorum partis, quæ tandem coctione continua, & indesinenti perenni suo levissimóque foco in fructus dulces, & maturos perficienda est sublimationem. Quod tamquam naturæ mirũ contemplari debent omnes spagyricæ artis alumni. sicut enim arbores omnes fructus producere nequeunt quin floreant. Hoc est, quin pars subtilissima spissitudinum elementorum, quæ nutritioni earum impenditur sublimetur in flores. Sic etiam arcanum vegetantium perfici non potest, nec animantium, nec mineralium, quin eorum omnium mercurius aqueus infixus, & volatilis, qui est tenuissima, & subtilissima eorum omniũ spissitudinis elemẽtariæ pars sublevetur in sulphur naturæ purum, quod est omniũ quasi flos, suos etenim habent flores mineralia, suos animalia, & suos utráque fructus. Si enim flos in universum definiri possit te-

Fusio metallorum unde dependeat.

Arcanum chymicum cur fusionem facilem habere ne esse sit.

Sublimationis rudimentum naturale quale.

Flores sunt sublimationis naturalis signa.

ſit tenuiſſima, æthereáque cujuſcúmq; mixti pars, à centro illius calore cœleſti in ſuperficiem detruſa; nonne ſemen hominis florem illius vocare poſſumus, lanuginem illam friabilem aurei coloris, guſtatúſque dulciſſimi, quæ in montibus ſulphureis, tamquam ros exſudans reperitur, florem ſulphuris dicimus. Quæ verò parietibus multis locis concauis, montiúmq; cavernis adnaſcitur albi coloris, & ſalſuginoſi ſaporis nitri florem, quem Spagyricorũ multi Saturnum venerabili canitie ſenem; alij non abs re τὸν πάντα vocãt, etſi hæc nominis tanti epitheta huic flori non conveniant; ſed alteri, qui huic aſſimilatur, qui eſt flos noſter, aquila Hermetis, & ſulphur naturæ, quod per ſublimationem ex corpore fixo per admixtionem volatilis, & infixi extrahitur. Metalla deniq; ſingula ſuos habent flores, florem auri, & argenti azurium, ſtanni, & plumbi ceruſam cupri viride æris, ferri crocum Martis, Chymici dicũt. Omnia deniq; mixtorum genera ſuos habent flores tãquam germinandi, & producendi virtutes infallibiles indices. Vnde in omnibus naturali quodam inſtinctu celebratur indeſinens, & perpetua ſublimatio, ut flores emergant ab eorum centro in ſuperficiem ex tenuiſſima ſpiſſitudinis elementariæ parte, quæ in inviſibili ſuo centro ſemẽ cuſtodit uniuſcuiusq; rei, quod in granũ efformatur. Animadvertant ergo omnes Spagyrici Philoſophi hanc naturalem ſublimationem, & ad quid inſerviat naturæ: ad eumdem enim ſcopum, & finem, ſublimatio ſpagyrica tendit; & ſicut natura abſq; floribus fructus producere maturos non poteſt; ſic & ars Spagyrica arcana ſua abſolvere, & perficere nequit abſq; ſublimatione. Vt ergo abſolvatur arcanũ vegetantiũ poſtquam mercurius eorum fixus, & permanens lotionibus multoties iteratis, & repetitis filtrationibus, & evapora-

Flos in mineralibus qualis, & quid in univerſum ſit.

Flos humanus qualis.

Saturnus apud Chymicos quid indicet præter plũbum vulgare.

Flores omnium metallorum quales.

Nihil eſt in rerum natura, quin floreat.

Arcani vegetantium declaratio.

tionibus depuratus fuerit, eorumque mercurius infixus & volatilis, diſtillationibus multis purgatus fuerit à terris ſuis, & aqueis phlegmatibus ſuis excrementis. Conjunge eos ſimul donec ambo fiāt unus mercurius infixus & volatilis qui diſtillatione egreditur, absque ſuo ſocio in ſocium ſuum fixum, & in fundo vaſis permanentem ſuperinfunde, donec aſcendat purus cum ſuo ſocio, qui deinde ſepties aut pluries ſublimandus eſt donec ultimum puritatis nitorem nanciſcatur, tuncque talci foliorum inſtar, & ſquammularum, aut bracteolarum argentearum propemodum adhærebit vaſi ſublimatorio, quæ colligendæ erunt, & ſummopere ſumma cum cura & diligentia cuſtodiendæ, & in vitro nitido, & polito peroptimè clauſo, & obturato aſſeruandæ, tanquam principium & præcipuum arcani vegetantium fundamentum, quod per ſe ſolum mirāda præſtat, tum in curandis morbis, tum in reſuſcitandis è vita quaſi extinctis arboribus, & plantis, & ut ter, quaterve germinent, floreant, & parturiant ſingulis annis. Quod creditu perdifficillimum eſt, his qui manifeſtis ſolum, & quæ ſenſibus ſubjacent credunt. His verò, quæ rationi competunt non ſatiantur. In hos autem ſolos ab experientia, ſic argumentor. Nonne in Gallia, & Hiſpania, aliisque multis terræ plagis reperiuntur vinarii ſtipites, qui quater in anno racemos ferunt, in hisque ſemper botros maturos, & immaturos invenire licet: id naturale eſt, nullaque arte perficitur; ſed naturali conatu, in his peculiaribus ſtipitibus exoritur. Qua ratione jam quæro id obtinent hi peculiares ſtipites; cùm non omnes æqualem habent fertilitatem. Ratio in promptu eſt, quia hi multò cæteris omnibus calidiores ſunt, invitoq; frigore trahunt à cētro terræ nectar illud vitæ, quod

Fundamētū arcani vegetantiam quale & quantū poßit, & valeat in morbis curandis.

Vinarii ſtipites quater in anno fructus ferentes.

pæ,quod totius fertilitatis eſt fundamentũ, nec frigoris rigore glaciatur in poris ipſius ſtipitis; ſed ſẽper calore ipſius diffunditur undiquaq; copioſiſſimè,hinc copia ſua non ſolum ſufficit ad alimentũ ſtipitis,ſed ad fructum parturiẽdum. Omnia enim, quæ copioſum trahunt alimentum ex copia aliméti,ſemé gigni neceſſe eſt. Semen autem genitum inane,& inutile eſſe naturaliter non poteſt, quin finẽ tandem ad quem ordinatum eſt adipiſcatur ſuum. Ad finem autem ſuum conſequendum in plantis & arboribus,tres ſufficiunt menſes. Hinc eſt quod omnes arbores communiter à floribus ſuis, qui ſunt ſeminis indices,uſque ad fructus ſuos maturos tres tantum impendant menſes. Steriles auté remanent cæteris anni menſibus, quod alimentum non trahant ſufficiens ad vitam ſuſtentandã,& ſemen producendum.Quod ſi trahere poſſent absque dubio, fructus etiam ferrent copioſos. Unde animalia, quod æque hyberno tempore trahant alimentum ſufficiens,ad vitã,& ſemen ac ęſtivo tempore etiam illa omnia,omni pariunt tempore. Ea enim habent omnia neceſſaria ad partum legitimum producendum,calorem ſcilicet,& alimentum,& ſemen. Arbores autem neque calorem habent ſufficientem, neque alimentum,neque ſemen, eo quod recedente ſole abit, & calor ille, qui arboribus & plantis vegetantem præſtat facultatem, abeunteq; calore illo,quod illius abſentiâ conſtringantur terrę pori, per quos,tanquam per venas,& arterias plantis, & arboribus demandatur alimentum ex cujus copia ſemen procreatur, deficit alimentum, deficienteque alimento ſemen deficit; ſeminis verò inopiam ſterilitas conſequitur. Æſtivo autem,& verno tempore hæc omnia abeunt, reliquaque præſto adſunt adveniente Sole. Unde etiam germinant, pullulant,florent,& parturiunt in his tantum menſibus

Semen unde generetur.

Ratio cur arbores multa steriles ſint toto hyberno tẽpore, alia autem fructus habeant.

Ratio cur animalia omni tempore ferant fructus.

Ratio cur arbores æſtivo tempore germinent.

in quibus viget,& valet calor Solis. In aliis autem quibus tepeſcit,& diminuitur, vita tantum eorum conſervatur absque fructu,quod ſi nimis rigeat,& algeat tempus,moriuntur,& vita extinguntur, nectaris vitalis vehiculo obturato frigoris nimio algore. Hinc quod vitalis eorum calor ſolus permaneat in corpore concluſus absque fomite ullo, quo perduret, facilè extinguitur. Animalia autẽ omnia ſemper habent præſentes has fertilitatis cauſas, quod eorum internus calor non augeatur, diminuatúrve Solis acceſſu, aut receſſu; imò hyberno tempore plus habent caloris, quàm æſtivo, eoque tempore citius turget animalium omnium teſticulorum ſemen, & ad Venerem, coitumque proclíviora ſunt,quàm æſtivo tempore in quo eorum calor reſeratis cutaneis poris ab externo calore exhauritur,ſemenque eorum flacceſcit ejus ſpiritibus exhauſtis,qui ambientis aëris frigore in centro ſeminis illæſi conſervabantur. Hinc hyberno tempore plus coitum appetunt, quàm æſtivo; turget enim tunc temporis eorum omnium ſemen in eorum teſticulis cujus copia geſtiunt, pruriuntque teſtes. Aves autem omnes, volatileque ferè omne genus verno tempore,& æſtivo ad coitum excitantur tantum, quod plantarum, & arborum ferè ſequantur vivendi methodum. His enim omnibus tunc temporis trahitur copioſum alimentum, detractis terræ fructibus omnibus, qui affatim ubicunque æſtivo tempore jacent, quibus ingurgitantur,& pingueſcunt. Hyberno autem tempore arenulis tantum victitant, & putridis animalculorum oſſiculis aut tenellis arborum corticibus, quibus jejuno ſemper ſunt ſtomacho. Unde quanta pinguedine æſtivo tempore perpoliuntur, tanta macie hyberno tempore ſqualleſcunt. Verumtamen non infi-

Arbores & plantæ cur moriantur hyberno tempore.

Animalia cur hyberno tempore magis appetunt coitũ quàm æſtivo præter aves.

inficior, quin vernante tempore calore naturali fotu cœlestis copiosioris caloris expanso, ac per totum corpus diffuso copiosiores sint voluptatum ad coitum illecebræ, quibus veluti œstro, thyrsoque percita animalia ruunt in Venerem; sed id non ex solo calore solari dependet; sed ex copioso alimento, & semine, quæ libidinis stimulos, illudque admirandum coëundi desiderium ad specierum conservationem, animaliumque omnium propagationem concitant.

Ratum ergo sit animalia ferè cuncta omni tempore posse fructum ferre quod omni tempore possint copiosum sumere alimentum ad vitam sustentandam, & semen progignendum, ex quo sequitur eorum partus; hoc testatur Cuniculus leporinum genus calidissimum animal, quod singulis mensibus parturiat, columborumque genus, quod inter privatos parietes affatim cibis nutriatur, eaque ratione singulis mensibus pullos edat suos, & foveat. Aliud verò columborum genus sylvaticum, quodque ruri degit, quòd non adeò copiosis utatur eduliis, ac aliud domesticum verno tantum etiam tempore incipit parturire, quod tunc temporis terra incipiat fructus pandere suos cornuq; Amaltheæ, Acheloique, terram universam decorare, & illustrare ad animalium cōmodos usus. Jam verò quis hominum etsi infimus ex plebeia fece, & amurca negare poterit arbores & plantas omnes posse fructum ferre quater in anno, cùm id ex solo calore interno nativo copioso, abundanti, & valenti dependeat, ut ex plantis, & animalibus demonstratum est. Quem calorem augere, fovere, & in suo vigore conservare facillimum est, artis auxilio, & opera, scitur quale quodque alimentum trahatur ab arboribus & plantis, æstivo vernoque tempore, ex centro

Cuniculi cur singulis mensibus pariunt.

Columbi sylvatici cur nō pariant singulis mensibus, ut privati, & domestici.

Qua ratione arbores, & plantæ omnes, &c.

ſsit quater in anno fructus ferre.

centro terræ hoc purum putum, aqua tepida diffuſum, nonne radicibus arborum infundi poterit? arbores tunc temporis alimenti quidquid præſto erit, nonne ſugent? at animalia fame tabefacta, etſi alimentum ſugant; idque copioſum ex ipſius copia nonne ſemen producent? hoc eſt flores, ex quibus deinde fructus oriri neceſſarium eſt, modo calor externus foveat fructum, fotuque ſuo maturet; qui quidem calor ſat ſufficiens erit verno, æſtivo & autumnali tempore: hyberno inſufficiens; unde immaturi permanebunt fructus tunc temporis; ſed tamen erunt, ut & in ſtipitibus vineariis ſupracitatis videre licet, in quibus hyberno tempore immaturi conſpiciuntur racemi, qui propter debilem admodum Solis calorem matureſcere non poſſunt.

CAP. XX.

De Sublimatione Animantium.

Arcanorũ omnium perfectio quid poſtulet.

OMne arcanum, ut abſolvatur, & perficiatur ſublimatioñe indiget, vegetantia id ſuperius demonſtrarunt: ea etenim fructum ferre non poſſunt, quin floreant; florere autem eſt ſpecies ſublimationis, ut demonſtravimus, id autem ipſum dilucidius oſtendetur in animantibus, ea ſiquidem & ſuas propagare ſpecies, & fructus producere nõ poſſunt quin ſe ſubliment, & in ſemen ſe effundãt; quod eſt ſe ſublimare, ea enim eſt animantium ſublimatio, ut eorum gignitiva natura in ſemen ſe cõvertat. Semen enim latè ſumpto vocabulo eſt naturæ ſublimatum. Id ſiquidem ſolum ſublimationi competit, & etiam quod ſublimari poteſt feminis naturam ſapit, ac redolet, id clariſſimè patet in animalium omnium ſeminis diſquiſitione. Si enim ſolum elementorum ſpiſſitudo volatilis, & infixa puriſſi-

Sublimatio animalium qualis.

Semẽ, qua vati ne ſolum ſublimationi competat.

purissima sublimari possit, conferatque ad sublimationem; semen ea ratione solum sublimari posse non incongruè asseremus, cum id sit purissimum rerum omnium, quæ in animalibus continentur: ex tenuissima siquidem alimenti ultimi parte conficitur, quæ est partibus omnibus animantium tenuior, & subtilior.

Semen est tenuissima pars omnium partiũ animãtiũ quæ conferũt ad nutritionem.

Sciunt omnes Medici, qua ratione semen fiat in animalibus, & qua ratione spumosum videatur, ut sententiam meam probent, non tamen intelligo me semen animalium, quod in corporibus eorum reperitur sublimari debere, ut arcanum eorum perficiatur. Aliud enim semen intelligo, quod arte parandum est ex animalium succis alimentitiis, aut excrementitiis; in his namque etiam aliquid excernitur invita natura à quibus separare potest ars, id quod arcanis competit, & sufficit. Id autem de semine communi dixi propter analogiam, & similitudinem, quam semen nostrum, seu sublimatum habet cum semine communi animalium ex quo vi procreatrice firmantur animalia, præparata potius ejus substantia in testiculis, tanquam in vasis sublimatoriis. Est autem aliquid potentius, & divinius in semine communi animalium quam illud quod reperitur in sublimato animaliũ. Virtus puta & Entelechia generationis quæ in sublimato nostro reperiri non potest nisi quatenus animantis alimentum esse potest, & ex ea fieri semen. Quamvis enim sublimatum necessarium in matricem tepidè, & non suis omnibus facultatibus, & energiis perfectis & completis effunderetur, nihilominus esset matrici tanquam aliquid extraneum, & ingratum, idque facili negotio elaberetur è sinu ipso matricis nulla alia peracta commoditate, quàm fotus, & caloris externi, in vegetantibus,

Ex semine chymico animalium hoc est ex mercurio animal fieri non potest, etsi in vulvam animalis eiacularetur.

verò

verò ſublimatum neceſſarium ſe habet, & ut alimentum ultimum, & ſemen ex illo ſiquidem arbores, & plantas generari poſſe ſuperiùs aſſerimus, & experientia ipſa vidimus in ſalviæ ſublimato, cujus rei cauſam non aliam eſſe exiſtimo, quàm communis cœleſtis caloris virtutem, & energiam, quæ cælitus per radios ſtellarum & planetarum in his inferioribus infunditur, quæ tenuiſſimo elementorum ſpiritui permixta variis occupatur plantarum, & arborum, animaliumque imperfectorum ſpiritibus ſecundum quos ipſa virtus cœleſtis ex arborum, plantarumque ſeminibus, & ex putri elementari materia potis eſt ubique & capax ipſas arbores, & plantas animaliaque producere imperfecta. Perfecta autem, quod ipſorum ſpiritus in ipſis ſolis resideant dum vivunt, & valent, non in virtute cœleſti, ſeu animo mundi produci non poſſunt ex partibus eorum truncatis, & ab ipſis ſeparatis; nec ex eorundem ſemine, niſi in ipſiſmet tantùm benè diſpoſito, & præparato; Quod autem fieri contingeret modo ſpiritus animalium perfectorum actu, & realiter, conſervarentur quidem, ſed potentia tantum, quæ nunquam in actum educi poteſt niſi in ipſis animalibus perfectis. Quamvis enim dicatur, Sol & homo generant hominem, Sol & Leo Leonem, & ſic de reliquis animalibus perfectis: eorum tamen ſpiritus à quibus Solis educitur anima eorum, non ſunt in actu in anima mundi per quam ſolam Sol, & cæteri planetæ dicuntur producere, & generare inferiora, neque poſſunt conſervari in anima mundi, quod ipſa ſint ſubtiliores, & puriores. Imo eorum ſubſtantia ſubtilior, & purior eſt elementorum ſtellarum, & planetarum omnium. Quocirca ex ſublimato arcano animalium cum tepidiſſimo calore (& ſi animalium calori æquali) gene-

Cur planta, & animalia imperfecta poſſint generari ubique.

Perfecta animalia cur nō poſſint ubique generari.

Cur potētia generandi animaliū perfectorū ſi tantū in animalib. perfecti & non in anima mundi in qua omnes animæ & formæ imperfectæ reſident potentia p[...] [...]ma: perfectæ a[u]t[e]m formæ non ita ſed quatenus for-

generari non possunt animalia perfecta. Deest ipsi arcano vitalis ille spiritus, qui tantum in ipsis Solis viventibus, & bene valentibus reperiri potest. Quamvis enim dicamus, & vocemus ipsum sublimatum spiritum. Attamen ipse spiritus, non est ille vitalis, qui generationi præest; sed qui alimento tantum. Sunt autem hi spiritus specie diversi. Vnus enim tantum in ipsis viventibus est, alter verò in ipsis etiam mortuis reperitur. Animalia namque mortua omnia alimento sunt cæteris viventibus. Vnde spiritus alimenti in his reperiri necesse est, qui statim actu apparet, & viget, dum alimentum in sanguinem versum est. In eo enim summopere turget, & viget, & tamen sanguinem vivere, & partem animalem esse nemo usquam Medicorum, & Physicorum asseruerit. Addam ergo quod & substantia differat ipsi spiritus. Vitalis enim æthereus & igneus; alimentitius verò æthereus, & aquosus. In plantis verò vitæ spiritus æthereus est, & aquosus, alimentitius autem aquosus & terrestris. Hinc fit, quod in plantis etiam mortuis reperiatur vitæ spiritus, quòd aquosus sit & æthereus, nec evanescere posit propter aquosam substantiam, quæ ligat, & retinet æthream, ne fugiat, aut si fugiat in anima mundi retinetur, & conservatur. In animalibus verò volatilis est omni ex parte vitalis eorum spiritus. Vnde vita pereunte, perit & ipse spiritus. Quæ ratio ultima est, & optima, cur animalia non generentur ex eorum partibus truncatis; at ipsa arbores & plantæ, & cur ex sublimato animalium perfectorum ipsa educi, & generari non possint perfecta animalia, contra illum Philippum Theophrastum Bombast, ab hoc henneum immeritò dictum Paracelsum, qui contra leges naturæ, & ordinem, totiúsq; Philosophiæ dogmata impudenter perfricta fronte dialectico calamo scri-

ma perfecti animalis virtute sua induerit similitudinem sui ipsius in anima mundi, hoc est in materiā animæ mūdi, quæ in semine semper animalium perfectorū latet.

Cur ex arcano animalium animalia perfecta generari non possunt.

Spirituum animalium differentia.

Sanguis turget spiritibus, & tamen non vivit.

Vitalis spiritus quà sit in substantia & alimentitius.

Cur animalia non possint generari ex partibus eorū truncatis, ut arbores, & plantæ Paracelsi error.

mo ſcripſit hominem extra hominem generari poſſe; contráque Avicennam aſſerentem mortuis omnibus hominibus Solẽ ex luto calore ſuo poſſe novos reformare, at totum genus humanum in priſtinum reſtituere ſtatum, quod pace tanti viri dixerim in Theologia, & Philoſophia Chriſtiana ridiculum eſt. Solem enim ea ratione ſummum admittere Deum cogeretur Theologia, cùm ex irrationabili, caduco, & elementari, rationale, immortale, & divinum educere poſſet.

Avicennæ error.

Quid intelligatur per ſemen, & unde educi queat.

Materiam ergo fixam unctuoſam à volatili, & infixam volatilem, & infixam factam, ſeminis nomine intelligo quod ſublimari debet. Quæ ſubſtantia ex alimentitia animalium ſubſtantia arte chymica adduci poteſt ſimili ratione, & methodo pari, ac factitatum eſt in vegetantibus ſuperioribus alimentitios tantum animalium humores Spagyrici Philoſophi præparant, ſuíſque præparationibus figunt, & coagulant, ita ut alimentum firmius, at fixius dét, quàm ex ſe impræparatis, & à natura, nihilque aliud eſt arcanum animale ſpagyricum, quàm alimentum perfectum, & abſolutum, fixum & permanens: ita ut facili negotio conſumi non poſſit, & evaneſcere, ut communia faciat aliměta, quorum natura adeo fluxa, & labilis eſt, ut dato, & aſſumpto ad alendum uno, dari, & aliud neceſſe ſit, ut vita ſubſtentari poſſit: quod minimè fieri eſſet neceſſe modò alimenta fixiora eſſent quàm ſint. Calor enim non tam cito eorum ſubſtantiam diſperderet, & conſumeret ſi eorũ humidum fixum eſſet, ac diſperdit, & deſtruit. Arcana autem chymica humidum illud aquoſum & aëreum in terram mutatum cõtinent ea ratione: quod terream prius humidi radicalis ſubſtantiam aquoſæ, & aëreæ ſubſtantiæ auxilio, & miniſterio in aquoſam & aëreã converſa habeant ſubſtantiam; illámq; iterum

Arcanum animalium quid.

Hoc fit per converſionem elementorum quæ eſt maximi momenti arcanis per agendis.

tum terreæ substantiæ ope in terream substantiam mutatam, & hanc in fixam omnino complectentur substantiam ratione cuius, quatenus fixa est, & pura, nihilque habeat extranei & impuri perfectissimè, & absolutè calorem fovet naturalem necessariū, ūmq; restaurat, & roborat similitudine substantiæ. In eo enim sunt omnia elementa purè coagulata, & fixa, & præsertim ignis, & aër. Vnde cùm vita necessaria nihil aliud sit, quàm quinta elementorum omnium essentia in corpore elementari anima informato radicata, fixa, & permanens: non tamen adeò fixa & permanens, quin evanescere & extingui possit nisi quinta alia elementorum substantia hinc prorsus simili indesinenter foveatur & refocilletur; hoc autem fit alimentorum ope. Nostri autem arcani quinta elementorum substantia p. rior admodum est, fixior, & stabilior omni alia substantia quinta, quæ in alimentis coërcetur. Hinc etiam est aptior ad vitam fovendam, & restaurandam, quàm alia quævis.

Vita quid sit.

Cur arcanor in substantia aptior sit omnib. alimentis substan. ad vitam fovendam.

Ex hoc sermone elice Spagyricarum rerū avide, quid conferat sublimatio in arcanis absolvendis. Fixum enim simul & purum esse non potest animale alimentum, quin sublimetur, alioquin etiam suas elementarias habebit impuritates, quarum ratione elementa, quæ in alimento sunt convertibilia, cōverti, & invicem permutari non poterunt, quod perfectissimè uniri non valeant, si permutari non possint. Ignis & aër præcipui vitæ fomites, terra fieri non poterunt, & hinc fixari nequibunt; si verò non fixentur labile, & evanescens præbebunt vitæ alimentum, ut cætera communia vitæ fulcra, & stabilimenta, & ea ratione non distinguetur Spagyricorum animale arcanum, ab alimento communi, & vulgari, quod corruptibile est, & facilis fugæ. Quæ omnes conditiones procul absunt ab arcano animali Chymicorum,

Ignis, & aer præcipui vitæ fomites.

Qualitates arcanorum chymicorum, & proprietates.

imò earum loco præstò adsunt substantiæ incorruptibilitas, permanentia, & stabilitas, firma, & constãs adversùs cujuscumque caloris impetus, & conatus veluti purissimũ aurum quod violentissimi ignis, vires contundit, & se in his minimè pati ostendit, quod nobilius, præstantius, & nitidus ab ipsis flammis educatur & exoriatur. Sic animal arcano nostro pro alimento utens non temporum varijs iniurijs lacessitur, nec longinqua eorumdem annorum serie canescit, nec laborum indesinenti onere fatiscit, nec studiorum multitudine, & vigiliarum copia mens obstupescit, nec morborum ullorum insultu, & incursu temperamentum eius frangi, subvertíque potest: sed invitis omnibus quibuscumque animalium hostibus, vitæ suæ ultimam à natura, Deóque institutam periodum, & metam percurrit omnem. Heu Reges, & Principes omnes, qui medicorum turbas, tamquam militum turmas, ut vitæ vestræ hostes profligare valeatis prægrandibus stipendijs, opulentísque muneribus, & donis devinctos conducitis! cur non vobis est unus saltem solus Philosophus Chymicus, qui vobis arcana vitæ tanta subministret? qui diu, noctúque indefatigato labore furnis Chymicis incumbens Spagyricam tractans artem omnem susque déque voluat lapidem, donec vobis reperiat vitæ thesaurum: Vt civitatem quamdam, aut urbem vobis rebellem subijciatis, & debelletis quamplurimos sæpesæpius insumitis annos, cùm infinitorum ferè militum, imò amicorum vestrorum charissimorum vitæ dispẽdio, cum thesaurorum, pecuniarúmque vestrarum exhausto, cum deliciarum vestrarum regalium privatione, cum labore improbo, cum sudore prægrandi, cum algore maximo, cum vigilijs, animíque summa perturbatione, cum belli non certi successus ambiguo timore. Hæc omnia cõstanti fertis

Virtutes, & facultates arcani animalium.

fertis animo, incredibili flagratis amore, longóque obtinetis tempore peroptatum; & ut internos vestros, & intestinos hostes debelletis, frangatis, dispertiatísque ne momentum quidem temporis insumitis, imò anile putatis opus, insipido quodam, & indocto medicorum vestrorum, & Philosophorum susurro delibuti. Spero me has omnes Spagyricæ artis tenebras, & brumas experientiæ meæ lumine, argumentorúmque meorum radijs, coram invicto, pio, justóq; Rege meo à doctissimis totius Galliæ viris abigere: Sed redeamus unde digressa est oratio nostra; Sublimationẽ Spagyricã multis de causis in arcanis Spagyricis celebrari diximus; Primò, ut spiritus animalis in arcano animali, hoc est tenuissima, & volatilis, & infixa animalis aliméti pars corpus fiat: hoc est fixa, & permanens alimenti substantia Secũdò, ut pars alimenti fixa, quæ est unctuosa elementariæ spissitudinis substantia fixa fiat volatilis, & infixa. Tertiò, & ultimò, ut hæc duo unum quid facta ab originali immunditia elevatione illa septies iterata purgentur, & sic ab spurcitia suo corporali sublevata mira præstent; non secus, ac anima rationalis corporis vinculis soluta, miram habet, & inauditam agendi potestatem: totum enim terræ globum Deo sinente tamquam pilam aliquam undiquaque è suo centro converteret, infinitum propemodum, & ultimorum cælorum spatium unico instanti velle sui transagit, & pervolat, solida quæque terram, cælos omnes, elementáque quæque invisibili foramine penetrat, pervadítque. Quidni etiam in corporis ergastulo detenta inauditos molitur naturæ effectus, & actus? nonne si corpus etiam ejus mania vexetur, quod eius humores, & spiritus calore nimio præter naturam attenuentur, & præter naturalem statum, & modum subtilientur, nonne inquam tunc

Sublimatio quare præcipuè de causa fiat.

Maniæ effectus stupendi.

temporis tamquam semiseparata à corporeis partibus, inaudita loquitur, futura prædicit, scientias & artes, quas non novit docet, idiomata linguarum varia etsi ignota loquitur, perpetuò movetur, quamplurimas insomnes agit noctes, mensem ferè integrum contra naturalem vitæ institutum incœnatam, & impransam absque ullo cibo, & potu percurrit sine ullo vitæ suæ discrimine? tanta denique agit mira ut immemor sui divinam quamdam naturam tali morbo consecutam se fuisse putet. imò Deum esse ipsum immortalem sed hæ sunt væsanæ mentis, & morbo afflictæ operationes tantùm.

Animæ rationalis sanæ effectus in noctambulonibus.

Videamus an sapientis, & optimæ valentis sint similes actiones: sæpesæpius videri solet, ut nonnulli florenti ætate, vividáque eorum corporis temperie constituti, sanguine eorum turgido, ac spumanti, æstuoso, fervidóq; spiritu intempesta nocte, vel antelucano exiliant, ac lecto, spondáq; se subducãt quæq; accessu, aditúque prorsus vigilantibus ipsis sunt difficillima, imò impossibilia perficiant, & absolvant, eáque tam inoffensè peragant nullo corporis incõmodo, attamen periculo maximo, ut nemini nõ spectantium admirationem, stuporémque incutiant: Somno enim profundo sepulti, & oppressi ambulant, ne dicam volant, perreptant, culmina, ædiúmque tabulata, parietes scandunt, illísque adhærescũt, manuum, pedúmque summis articulis limacum, cochlearum, cancrorúmque propemodum similes ædium tegmina editissima quæque percurrunt, illáque & inæquo spatio dissita catorum instar præsaltant, conscendunt equos furiosissimos, eósque cursu velocissimo agitant, undiquaque percurrunt nullo metu, nulláque trepidatione, natant, seque in profundos gurgites fluviorum iactant, hincque evadunt incolumes, etsi vigiles omnem natandi ignorent

rent artem; pondera grauissima è terra sublevant, eáque humeris sustollunt, & transportãt ultra domũ, rursi peractis multis leucis redeunt. Quæ quidem ipsi vigiles deinde credere non possunt se agere potuisse, humo enim sublevare solum apparet, quòd tres alij homines cum ipso noctambulone illi coadiutores pondus illud non possunt, quod ipse solus dormiens transportat, multa alia infinita peragunt mira, & inaudita, incredibiliáque, quæ à nulla alia dependent causa, quàm quòd anima habeat humores, & spiritus, quibus utitur ad operandum, tamquam instrumentis subtilissimos, purissimos, & elementari spurcitie defœcatos calore vitali puro puto delibutos, qui quidem calor somno augetur feriantibus omnibus sensibus externis quibus utentibus eorum usu atteritur. Vnde adaucto per somnum calore inflato vitali eorum spiritu æstuantibus humoribus omnes ferè sensus ad agendum compelluntur, non secus ac organa pneumatica, quæ insufflatis aëris, ventíque spiritibus tumere coguntur. Quòd autem eorum omnium noctambulonum calor, & spiritus violentior, & copiosior fit in somno, quàm in vigilia: hinc eorum etiam actiones promptiores, violentiores, & subtiliores sunt, dum dormiunt, quàm cùm vigilant Vigiles etiam hi omnes homines cæteris hominibus ingenij acumine, actionũ omnium violentia, & promptitudine antecellũt, ut sunt ardeliones omnes inquieti, iactabundi, qui omnibus se negotijs ingerunt atque ultrò, citróque discursant, vultu, incessu, vestitu, totóque corporis habitu ab alijs hominibus dissimiles ad maniam proni, circumforanei, histriones, palæstritæ, agyrthæ, circulatores, qui ad nugas plebem convocant, quales iam multi Italici Pharmacopolæ, & Chirurgi, qui temeraria audacia, nullo merito proh nefas! honorabile,

Causa effectuum noctambulonum.

Noctambulonum omnium calor, & spiritus validissimus.

bile,& plusquàm laudatum Spagyricorum & Chymicorum nomen sibi adsciscunt & attribuunt,conscensisque in publicum theatris, tamquam comœdi, & histriones ad aniles nugas, excogitatásque ad risum fabulas imperitam plebem agglomerant,interímque stultis, sua chymica, quæ aiunt pharmaca magno divendunt pretio, curásque morborum aggrediuntur imperiti, & insulsi omnino. Quòd si casu, & fortuitò cedat effectus (quòd in sua fuerit declinatione, in qua nullo adhibito remedio,natura ipsa citiùs,omni procul dubio malum curasset)magni sunt Apollines, & Æsculapij, magni habentur Spagyrici, & tamen Spagyricorum medicorum ciniflones,& carbonarij haberi merentur, & eo funguntur apud Italos medicos officio; sed ex Italia in Galliam convolant,postquam aliquid Spagyrici artificij rudiusculè perdidicerint, ut eo solo ab imperita plebeia Gallica turba, quæ nova miratur semper,benignóque suscipit applausu,magni habeãtur Spagyrici Philosophi,tales nutrit, & honorat passim Gallia:tales ditat opulentissima Lutetia:tales totam pererrant Galliam, qui flagro potius, & carcere digni sunt,atque pistrino in quo malè curatam fustibus asinorum curent cutem,& strigilibus demulceant bobus, quàm tanta laude,& decore tanto excipiantur à populo Gallico nimis in exteros officioso.

Galli semper in exteros officiosi.

Iam verò Sole clariùs patet, quòd anima dum puros & subtiles obtinet humores, & spiritus, mirandos præstet effectus. Idcircò Chymicorum quamplurimi id animo convoluentes excogitarunt medicamentum porrigere animalibus, quòd eorum subtiles faciat humores,& spiritus;id autem invenerunt in centro alimenti cujuscumq; animalis, quod purũ putum perfecta decoctione absoluta omni qua indigebat perfectione decorarunt, & sic suos viderunt effe-

Actus præclari animæ ex humorum subtilitate dependent.

effectus, ut capitulis ultimis, etiam hujus opusculi Chymicorum quisque videre poterit, & experientia sua ipsemet delibare.

Cap. XXI.

De Sublimatione Mineralium.

Mineralium arcanum non secus ac alia omnia arcana, quæ superioribus pertractavimus capitulis sublimatione indiget, ut perficiatur: imò majori & subtiliori, quàm reliqua omnia, cùm excrementis scateat majoribus, & copiosiore turgeat fece & tartaro: terra enim, etsi caloris cœlestis, & vitalis sit scrinium, & scaturigo, in centro cujus ad generationem omnium rerum spissitudines omnium elementorum cum subtili cœlorum, quod radiis planetarum, & stellarum terræ infunditur malaxentur, & compissentur: attamen multò minus in terra viget talis calor, quàm in vegetantibus, & animalibus propter excrementorum copiam, & redundantem cumulum, quibus extinguitur, & suffocatur: non secus ac ardentes, & vivæ pulvere, & sabulo prunæ. Unde mineralia omnia quòd ex terra immediatè sumant originem frigidiora sunt aliis omnibus: & tamen creantur, & formantur immediatè ex calore vitali terræ rerum omnium architecto, à quo calidiorem deberent nancisci conditioné, cùm in sinu suo, & medio, quasi procreentur: calor tamen ille naturali suo instinctu, cùm sursum tendat, ætheraque revisere tentet, patriosque adire penates crassum, & feculentum suum in terra relinquit à quo mineralia: subtile verò in terræ, & aquæ superficie à quo vegetantia, & animalia prodeunt, & conservantur. Subtile autem plus obtinet illius caloris, quàm crassum & spissum, quod ratione suæ crassitudinis, & spissitudinis, calorem

Mineraliũ arcanũ sublimatione indiget sub tiliori cæte ris omnib. arcanorũ sublimationibus.

Cur mineralia frigidiora sint aliis naturæ mixtis.

Mineralia vegetãtia, & animalia, ex qua spiritus mundi parte fiãt, & generẽtur.

paucillum, quem coercet adeò ſemimortuum, & ſuffocatum conſervat, ut mortalium nemo Chymicis exceptis in omnibus aliquid latere vitæ exiſtimet mineralibus, quæ tamen revera vigentem, & valentem illius vitæ calorem retinent à Chymicis omnibus exoptandum & habendum. Is enim ſolus eſt, cujus luce cuncta penetralia terræ, veluti Sole meridiano luſtrentur, cujusque ſplendore curſus dirigitur in lucos Proſerpinæ ſacros, ubi pinguem dives opacat ramus humum; ſed opaca Ilice auri frondentis tegitur ſpecies, quæ apud Spagyricos Philoſophos ilex nihil aliud portendit, quàm excremẽta, & feces, quibus abundãt mineralia omnia, quod Virgilius doctiſſimis expreſſit verſibus.

Quid per ilex in arcano Philoſophorum intelligatur.

Latet arbore opaca
Aureus, & foliis & lento vimine ramus
Iunoni infernæ dictus ſacer, hunc tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.

Quæ ſublimationis noſtræ radiis fugandæ ſunt, & diſſipandæ eisque diſſipatis fulgebit auricomus ilicis opacæ arboris fœtus; ſed inſano priùs juvat indulgere labori antequam tanto digneris munere. Non enim ſimplicis operis eſt & laboris hæc noſtra ſublimatio: quamplurima, eaque difficillima antecedunt opera, ut videre eſt è ſuperioribus capitibus, in quibus de iis operationibus longa ſparſa eſt oratio. nec adhuc exiſtimo ſatis fusè me dixiſſe, & aperuiſſe ea omnia quæ ad hanc pertinent artem. Omnia enim ſcribere, chartisque depingere impoſſibile eſt. Latent ſiquidem multa, quæ non niſi experientiâ, & oculis ipſis manifeſtari poſſunt. Unde, qui ſtudio ſolo & meditatione, librorumque quamplurimorum, eorumque optimorum, & ſelectorum lectione ad hanc pervenire artem conantur, tardè omnino eam cõſequuntur: opus

Arcanum Philoſophorum poſſibile, ſed difficile.

opus est tandē experientiâ, ex qua addiscitur, quod lectione, & meditatione excogitari nō potest. Multoties ego ipse erravi, ipsique errores doctrinæ, & disciplinæ mihi erant maximæ. In primis enim conatibus meis, & experientiis, quibus ad divinum istud opus manus adhibui, annos ferè duos intēgros consumpsi absq; ullo expectato fructu, quod spiritum volatilem infixum nostrum, seu aquam, & mercurium Philosophorum impurum, & non septies distillatum terræ nostræ, sive auro nostro fixo, & permanenti etiam impuræ commiscueram, eaque tepida per multos menses in athanore, seu furno physico conservatam apparentibus coloribus, nigro primum, postmodum albo, quæ res ingenti, & incredibili gaudio animum pertentabat meum: sed postquam ad citrinum perventum est colorem, dum sublimationem tentare volui, dictātibus ita doctoribus omnibus Spagyricis, ita obstupui, ac si dura silex fuissem, & Marpesia cautes. Mercurius enim meus æquè crudus, & iisdem qualitatibus præditus aëra conscendit, ac primò impositus fuerat, nihilque mutatus fuit, nec ullam terræ fixæ partem secum advexit: sed tota fundo vasis permāsit, absque ulla alteratione suæ substantiæ, nec iterata ulla deinde repetitione, infusione mercurii mei super terram potui eam sublimare: imò nec eam alterare, & à suis qualitatibus dimovere. Ad hoc autem opus sic pertractandum quamplurimis mecum excogitatus rationibus perductus sum; quod non opus erat in prima mercurii, & terræ nostræ commixtione præparationes ullas, & purificationes adhibere, quòd omnia impura, & extranea, quæ in mercurio, & terra nostra reperiri contingebat, in sublimatione nostra separari, & segregari esset necesse: ita has omnes purificationes, & lotiones

Errores authoru in arc.no peragendo.

lotionesante ſublimationem vanas, & inutiles rebar, quas in ſublimatione deberi putabam, minimè exiſtimando quòd ſublimatio fieri non poterat niſi omnia, quæ ad ſublimationem adhibentur pura fuiſſent, quòd ea impura invicem alterari; & inter ſe agere, & uniri non poſſint propter eorum omnium excrementa, quæ unionem eorum impediunt & hinc actionem eorundem: experientia tentata veritatem illius axiomatis expertus ſum, quam antea animo excogitare non poteram. Iterata igitur eorum omnium unione, & conjunctione, poſtquam eorum omnium purificationem, & defecationem exactam celebravimus, eorum unionem vidimus & ſublimationem fecimus puram, & nitidam, quam tamen antea non poteramus & præ errore opus laudabile intactum relinquere penè in votis fuit, tanquam aliquid futile, & gratis dictum à Philoſophis ad ingenia hominum acuenda, illis naturæ reconditis illecebris. Erravi etiam per multum tempus, quòd terram noſtram fixam antequã mortua, & ſpiritibus ſuis omnibus privata fuiſſet, ad puritatem deducere conatus fuerim, multis calcinationibus, levioribus quàm par ſit ad ejus terræ extinctionem, multiſque lotionibus in vanum tentatis, & infuſionibus mercurii volatilis ſuper eam factis, quod tamen opus omne vanum, & inutile fuit æquè ac primum, eoſque tantum errores expertus ſum circa materiam debitam arcani mineralium, quibus intentatis, & non expertis impoſſibile mihi erat hæc animo concipere. Fuerunt & alii mihi errores quamplurimi circa materias indebitas, & extraneas, circa quas decem ferè annos cõſumpſi ſumptibus minimis, labore tamen ingenti & improbo, quem tamen impendiſſe non me piget. Laborare enim didici, & inſtrumenta chymica pertra-

Alius error authoris.

pertractare,tum ea omnia,quæ ad arcanum Spagyricum faciunt, tum reliqua omnia, quæ omnibus Spagyricorum distillationibus extractis, arcanis, magisteriis,elexiribus faciendis inserviunt,quæ tãta sunt,eaque tam nova, & recentia, ut si Spagyricorum summus reviviseeret Hermes & acutissimus Geber certè ignorarent, discipulique & tyrones haberentur rudes.

Laborate ergo vos omnes chymicarum rerum studiosi circa operationes chymicas,hisque investigate mixtorum centralem compositionem, intuemini internas eorum partes, evolvite libros Spagyricos vetustiores, & obscuriores, molimini eorum rectam interpretationem, eaque via brevissimo tempore ad optatum devenietis portum, nec vos deinde laborum, aut curarum, aut ullorum sumptuum pigebit. Mineralium centri radicem averruntate,ex eaque succum exprimite, eum depstrate, terramque puram eo irrigate suam, consurget brevi tempore ditissima arbor aureis, & argenteis decorata fructibus, qui nunquam ex ea radice sunt proventuri, quin priùs cortice duro suo denudetur. Id autem fit ut multoties dixi calcinatione, solutione,inhumatione,distulatione, & tandem ultimò sublimatione in qua sola operatione ultimò omnia removentur excrementa. Dum enim terra cœlum petit,& astra ea imitatur splendore substantiæ suæ, & coruscanti corpore in quo nulla originalis reperitur macula, quodque etiam eodem instanti cœlestibus,& astralibus insignitur facultatibus, & virtutibus,quòd excrementa spissitudinum elementorum singulorum in altum non ferantur, & suffocent harum virtutũ energias & efficacias: non possunt autem sursum ferri, quòd Mercurii volatilis naturam essentiam non redoleant. Hinc quòd

Quid agẽdum ad arcanũ chymicorum habendũ.

Ex succo radicis centralis mineralium fit arcanũ eorum.

quòd illi uniri non possint. Mercurius etiam ea per aëra succolare non potest: at in fundo remanent in forma pulveris tenuissimi, qui levissimo sufflatu in atomos dissipatur, modò ne aliquid mercurii fixi in his resideat, veluti insolutum, & inalteratum à mercurio volatili. Tunc enim temporis resident adhuc excrementa illa massæ alicujus salis fusi propemodum pinguedinem summam habentis, ratione cujus excrementa illa invicem sibi cohærent, & massam in fundo vasis constituunt Unde iterãda est infusio mercurii volatilis super illam massam pinguem donec auferatur omnino ejus pinguedo, & in auras deferatur unà cum mercurio volatili in modum foliorum talci pellucidi, aut bracteárum argentearum, quæ sulphur naturæ dicuntur à Philosophis omnibus Spagyricis. Hinc clamatur à Philosophis passim in turba, quod sedulo frangenda est massa eorum mercurii fixi, & terenda summopere, & in pulverem impalpabilem redigenda non manibus, pistillo, aut mortario; sed igne, & aqua eorum & ethelia, quod non aliter intelligi potest, quàm de sublimatione in qua sola fixa mercurii substantia dilaceratur, frangitur, & adeò atteritur, ut in aërem ipsum convertatur Quòd quamvis nos ipsi in capite de calcinatione retulerimus ad calcinationem prædictam attritionem; attamen calcinatio non est nisi prima mercurii fixi attritio, dum mercurius volatilis ab fixo separatur, & tandem datur. Sublimatio verò est ultima attritio physica: in ea enim quidquid est vitæ in massa mercurii fixa sursum pellitur & separatur verè à morte, hoc est ab excrementis omnibus, quæ in elementorum spissitudine continentur, quæ mors dicuntur ratione, quòd actiones, facultates, & virtutes proprias, & innatas, quæ in mercurio nostro resident

Pulvis impalpabilis qua ratione fiat.

Sublimatio est ultima & absoluta mercurii fixi attritio.

Excrementa cur mors dicantur.

dent

dent impediant, & suffocent. Hæc nostra attritio, quam in sublimatione collocamus clarissimè patet in Ænigmatibus, quæ in turba referuntur ex visione Arislei Philosophi summi, & præcipuè in secundo ænigmate in quo videt Arisleus ex mari suo physico exoriri pisciculum rotundum, ossibus & squammis carentem, pinguedine summa præditũ, mirificaque ornatum virtute, qui silenti igne coctus, donec ejus humor, & pinguedo prorsus abrodatur, & absumatur, omninoque macrescat, qui deinde fortissimè terendus, & aqua maris imbuendus quousque lentescat, suaque iterum induatur pinguedine. Hinc per hebdomadam sepulchro absconsus, assandus iterum, donec omnem deponat pinguedinem, & præ combustione candescat, cui candido, & albissimo facto, reddenda est iterum ejus pinguedo sua, donec totus ascendat citrinus, aut albus, qui deinde assatus fit collyrium Philosophorum, cujus liquore illi oculi arcana Philosophorum facillimè vident & percipiunt In hoc ænigmate solo totum quod in hoc amplissimo libro complexus sum coërcetur, & in eo claret, quòd vera, & ultima Philosophorum attritio in sublimatione celebratur, quod in ea pinguedo corporis nostri, quæ attritionem ejus impedit consumetur, & abrodetur, non tamen quod abrodatur, tanquã aliquid extraneũ & inutile: sed quòd in mercurii volatilis repetita multoties super corpus infusione & ascensione, seu distillatione pinguedo illa, quę massam cõstituit fixam pedetentim solvatur, & mercurio suo volatili admisceatur, & unà cum illo ascendat relictis in fundo vasis, quæ non sunt ejus substantiæ, quę constituunt excrementa illa de quibus superiùs dictum est quòd levissimo insufflatu evanescant, cùm nihil pinguedinis præcedentis contineant,

Ænigma Arislei Philosophi.

tineant,quæ ejus continuitatem constituant. Hæc enim est pinguedo, seu substantia illa spissitudinis elementariæ, quæ continuitatem in rebus omnibus constituit, tum vegetantibus, animalibus, & mineralibus,eaque absente perit & destruitur eorum omnium continuitas, quæque firmiorem habent,& compactiorem firmius stant,si calore,si frigore ea pinguedo consumatur statim mixta in atomos resolvuntur. In cadaveribus mortuorum hominum,quæ in hypogæis subterraneis (quæ in Ecclesiis Christianorum ad hoc pium, sacrumque opus affabre conficiuntur) ad multum tempus asservantur,in quibus dum humor ille alimentitius, qui partes omnes suo corpore conservat, quique pinguedo de qua loquimur esse censetur consumitur,partes eorum corporum,quæ labilem,& fluxilem habent illam pinguedinem, sensim in atomos abeunt,relictis tantum ossibus, neruis,& ligamentis tantum inter se connexis,& cute tectis,tandemque successu temporis, longoq; ejus tractu omnia corruunt in cineres. In arboribus etiam idem cernere est,quæ dum vita extinctæ jacent sensim carie contabescunt, earumque partium soliditas, quæ dum viridanti succo delibuta erat, ponderosissima erat, & firmissima: jam verò dum illo succo destituitur,& pinguedine sua innata vitali, & primordiali privatur,foraminibus scatet multis,levissimaque fit,ventoq; levissimo rapitur, quæ anteà aquis, bobusque validissimis trahi, locoq; dimoveri non poterat. Dum etiam prægrandis arborum quantitas,&acervus flammis devorandus proiicitur:nonne,quod domus integra & area maxima capere nō poterat, minima clauditur urna? nonne præduri lapides flammarum violentia attenuantur,&in impalpabiles reducuntur cineres, quod pinguedine sua,

C'tinuitas reiū omnium unde & ex qua parte substantiali mixtorum fiat.

Vndenam omnia successu temporu in pulverem tenuissimum convertantur.

ſua, quę duritiem in his omnibus conſtituit, exſpolientur? Metalla quoque omnia ſimili methodo nonne in pulveres ſubtiliſſimos rediguntur, quæ tamen antea viſibilem, & manifeſtam promũt pinguedinem, qua in igne fluunt & liquantur?

Metalla undenam fluant in igne.

Statutũ ergo ſit cribrationem, ſeu attritioné verè fieri phyſicam in phyſica ſublimatione, quòd in ea pinguedo, quæ ſoliditatem & duritiem in mercurio fixo conſtituit, abrodatur, ſeu ſurſum compellatur una cum mercurio infixo, & volatili, quod cum in mineralibus fit, illud quod ſublimatur ex mineralib. continet, & coërcet totam mineralium naturam, mercurium inprimis infixum, & volatilem, & mercurium fixum & permanentem, qui duo mercurii totam, & integram cùm conſtituant mineralium naturam, nemo prorſus ambigit, quin in ſublimato tota mineralis & metallica coërceatur natura, cumque pura contineatur, & nitida, & ab omnibus elementorum ſoluta ſpurcitiis, quin incredibilem agendi promptitudinem, & corpora metallica cuncta penetrandi ſubtilitatem ſecum habeat, cujus ope & auxilio, ſuas facultates & actiones, & energias metallis communicet, ſuoque ſilenti, ingenti tamen igne partes metallorum heterogeneas, eorum perfectionem devaſtantes, & corrumpentes ſeparet, & ſegreget; ſicque maneat purum metalli homogeneum in aurum mutatum, tanquam in finem ſuum ad quem naturali ſua ſponte tendebat. Attamen impediebatur à frigore tum terræ, tum aëris, & aquæ materiam metallicam duriori repagulo condenſante, ſegregatricemque facultatem impediente, aut ſaltem in longiſſimum temporis ſpatium protrahente ne votum attingat, & ad ſcopum collimet ſuum, aut ab excrementis multis & copioſis, quæ igniculum ſuum perfectio-

Cribratio ſeu attritio cur in ſublimatione perfecta, & abſoluta fiat.

Vnde recte dicunt Philoſophi multi: eſt in mercurio quidquid quærunt ſapiẽtes, attamen id non intelligitur de mercurio vulgi, ſed de ſucco puro, nitido, & ſublimato mineraliũ radicum.

nis futuræ fomitem ſuffocant,& extingunt, quod acuto mentis ingenio antiquitus perſcrutantes Philoſophi, igniculum illum metallis incluſum materiæ craſſitie coërcitum terreis,aëriis,& aqueis excrementis quaſi extinctum ſuſcitare excogitarunt: materiam ſuam qua clauditur attenuando, additoque majori, & copioſiori, at ſimili igniculo quàm in corpore clauderetur, tandem ſuis artibus illum igniculum à ſua natura ſepararunt pura, putumque habuerunt, quem deinde fixum, & permanentem,hoc eſt cujuscunque ignis vires, & poteſtates negligentem, veluti aurum puriſſimum: ſicque inventus eſt lapis ille phyſicus tantæ virtutis,& efficaciæ, ut omnia vivifico ſuo nectare penè extincta ſuſcitet, ſuſcitata conſervet in longiſſimum tempus extra corruptionem omnem, labemque elementorum. Quod certè mirum eſt in natura, cùm quotidie corruptionem omnium rerum præ oculis habeamus, & in fatis ſit omne elementatum tandem diſſolvi debere. Attamen cùm illa diſſolutio adeò promptè fiat,ut inter ortum, & interitum nullum ſit, aut pauxillum temporis ſpatium, poteſt divino iſto medicamine adeò retardari,ut perpetua quaſi conſervatio eſſe videatur.

Lapis phyſicus qua ratione excogitatus & inventus fuerit.

Quo pacto autem hæc fieri poſſint attendite. Res omnes qualescumque ſint, quà rationalis ordinis, quà ſenſitivi, quà vegetativi, aut eſſe ſimplicis,pereunt,& evaneſcunt, quòd eorum omnium cœleſtis ignis vitæ fomes, & cauſa pereat, & evaneſcat ob ſuum fomitem elementarem,labilem,& corruptibilem. Hinc alimenta in dies ſumimus, ut labilem illum fomitem reſtituamus, & reſtauremus,ignemque deperditum revocemus, alio repoſito in centro alimentorum contento, cumque vitalia omnia plus caloris habeant;quàm ea,quæ ſimplici

Vnde pereant omnia,& corruptibilia ſint.

plici τῷ εἶναι constant; ea etiam plus fomitis consumunt; sicque citiùs multo intereunt, & evanescunt, quod non fieret, si alimentorum vitæ igniculus, quo utimur ad vitam sustentandam firmior esset, & permanentior, quàm sit: ex ejus enim permanentia vita etiam persisteret longiùs. Lapis autem physicus, totus ignis fixus, & permanens, ut diximus, cùm infunditur in materiam elementarem, vivacem aut alterius ordinis, adeò firmat, & indurat vitalem illum calorem, ut consumi, & destrui penè non possit, eumque penè extinctum præ annorum, temporum, morborumque rabida fame adeò suscitat, & refocillat, ut nova quædam generatio videatur. Hoc medicamine ætatem Æsonis Medæa restauravit. Hac dulci elementorum omnium harmonia Euridicen ab Orco reducebat Orpheus Hac forti, rapacique aquila ad cœlum rapuit Ganymedem Jupiter. Hæ fabulæ cancellis suis hujus medicamenti potestatem, & energiam commonstrant, cujus ope & auxilio antiquitus quamplurimi Philosophorum gloriam tantam, laudemque adepti sunt inter plebeiam turbam, ut divinitatis mercedem consequuti sint; jamque si aliquis nocte, dieque huic arti incumbens, piè sanctèque vivendo, & operando ad hunc collimaret scopum ab omnibus majori certè laudis encomio eveheretur, quàm unquam fuerit gloria laudeque donatus in medicina Æsculapius. Miranda enim adeò præstaret in rerum natura, ut solus naturæ magus æstimari mereretur. Quapropter ne desinant Chymiæ artis studiosi hanc persequi artem, minimum enim est, quod dispenditur, respectu illius, quod ex ea quivis nancisci, & consequi potest, donec purum illud ex quatuor elementorũ spissitudinibus cõflatum è centro mineralis nostri

Lapis Philosophorũ qua virtute vitã nostrã in longius prorogabat tẽpus quam communis postulet naturæ motus.

extraxerint, idque sublimarint in purissimum naturæ sulphur tantopere optatum, à quo tota incipit Alchymia, & ex quo argentum, & aurum facili negotio fieri potest. Hoc habito tota patet ars, & reliqua, quæ in arte peragenda supersunt, nullius ferè sunt laboris, ludus potius puerorum, & opus mulierum haberi meretur, quàm Herculeus quidam labor, ut mox capitibus subsequentibus videre licebit.

Habito sulphure physico nihil ferè superest laboris in arcanis chymicis peragendis.

CAP. XXII.

De Unione in Communi.

UNio apud Chymicos, & fixio ferè coincidunt. Non enim distinctę sunt operationes, nisi quatenus unio præcedit fixionem; sed ambæ uno continuo tempore, & uno, eodemq; vase, furno, & igne fiunt: nec esset opus capita peculiaria, & distincta de fixione instituere, cùm in his capitibus, quæ de unione habebuntur, omnia, quæ de fixione dicenda erunt, complecti possem. Attamen ut undiquaque illucescat opus Chymicum peculiaria de singulis erunt capitula.

Vnio quid.

Unionem in primis definiemus, humidi radicalis volatilis puri & nitidi, cum humido radicali fixo itidem puro, & nitido conjunctionem, vel ut scribitur in scala Philosophorum, capite de conjunctione, est qualitatum commixtio, complectentium copulatio, dispersorum replicatio, principiorum coæquatio, repugnationis dispositio. Quæ epitheta definitiva explicanda sunt, ut notum sit omnibus, qua ratione unio nostra physica his insigniatur nominibus. In primis dicitur qualitatum commixtio, quòd in ea sola operatione qualitates verè permisceantur, calidum tunc temporis frigido permiscetur, & humidum sicco, & concordi adeò

Cur unio dicatur qualitatū cōmixtio.

adeò pace ligantur, ut nunquam iterum segregari possint. Ibi non calidum, nec frigidum, nec siccũ, nec humidum prædominans reperire licet: sed omnia simul unica temperie unum constituunt temperamentum: tunc versa est terra in aquam, aqua in ignem, ignis verò in aërem, & celatus est, & occultatus ignis in intimis aquæ: terra verò in aëris ventre Unde verè elementa tunc commixta sunt: & unio nostra qualitatum rectè dicitur commixtio. Dicitur autem complectentium copulatio, quòd ea sola, quæ in unione ponuntur verè dicantur omnia, quæ necessaria sunt ad arcanum peragendum continere, & coercere suo sinu, adeò ut non egeant aliis rebus. Unde meritò dicitur lapis noster quocunque eget, intus alit, & continet; superflua tantum demenda sunt, ut perficiatur. Habetur verò dispersorum replicatio; quòd mercurius volatilis, & fixus, qui simul crudi, & incocti, & impuri conjuncti erant in corpore minerali, jam iterum de novo simul conjungantur, postquam separati fuerint, & segregati ut sua deponant excrementa, unde dispersi dicuntur. Separatim enim debent purgari. Postquam autem purgati sunt, iterum conjungendi sunt: idcircò dicitur unio dispersorum replicatio. Principiorum autem dicitur coæquatio, quod in unione principia lapidis physici, quæ sunt mercurius volatilis, & fixus, ad quandam concordem harmoniam invicem reducantur; adeò ut coæqualia sint & coæquata in agendi potentia, at renitendi claritate. Hinc statim consequenter subiicitur esse repugnationis dispositionem, quòd antea repugnantia inter se principia in unione cõcilientur, ut pacem ineant, & hoc est quod adinnuunt Philosophi dum dicunt; fac pacem inter inimicos, hoc est principia nostra inter se propter excre-

Unio chymica cur dicatur cõplectentiũ copulatio.

Cur dicatur dispersorum replicatio.

Unio cur dicatur principiorum coæquatio.

crementa pugnantia, & contraria concilia, & ad pacem diſpone perpetuam. Poteſt & alia tradi definitio unionis noſtræ, quæ occultas, & inauditas ejus proprietates oſtendet ſimilibus verbis. Vnio eſt nova, & iterata animæ puræ cum corpore puro commixtio, ſeu conjunctio: quibus verbis non intelligimus nos idem omnino corpus iterum exurgere, quia gradus unionis non isdem eſt, non forma eadem conſurgit: etſi materia ex qua formæ omnes oriũtur ſit eadem in ſubſtantia; ea enim diverſa eſt qualitatibus, & gradibus perfectionis quæ dant eſſe formis. Si enim poſt varias illas, & multiplices purificationes, lapis noſter poſt ultimam ſuam purificationem isdem eſſet in ſubſtantia, & qualitatibus, metalla mutare non poſſet, cùm ante purificationem non valeat: neceſſe eſt ergo, ut in ultima ſui præparatione aliam habeat formam, & ab ea novam agendi potentiam: etſi ſubſtantia ſua non mutata ſit, ut commune eſt ſubſtantiæ omni non mutari; ſed tantum alterari, quod ad qualitates, & accidentia pertinet, & formam, cùm hæc omnia abeant, & diſcedant à ſubſtantia, aliaque nova ſubſtantiæ adveniant: Singularis unaquæque forma ſingulares & peculiares habens proprietates, & peculiariter ſuam informans ſubſtantiam. Unde impoſſibile eſt, & contra naturale inſtitutum duas formas non ſibi ſubalternantes & ſubjectas unicam informare, & occupare ſubſtantiam, quod ſubſtantia poſtulet, & exigat ab una forma, propriis, & quibusdam decorari qualitatibus, quæ aliæ formæ non competant. Unde ſuo deſtitutam comitatu, & ornatu hinc abire neceſſe eſt, & alias ſibi quærere ædes, quæ talem admittant comitatũ. Faceſſant hinc omnes, qui oculari experientia freti, at potius arte dæmoniaca deluſi, aſſeruntq; dæ-

Alia unionis definitio.

Lapis phyſicus ſuſcipit alterationem, nõ mutationem.

Subſtantia in ſe immutabilis eſt.

mones

mones homines in lupos, asinos, porcos, & in alia bruta animalia mutare posse. Dæmon enim supra naturam nihil potest; id soli Deo tanquam naturæ Creatori reservatum est. Si enim eam tali ordine creare potuit, suo nutu, & voluntate, quid impedit, quin eum ordinem confundat? est enim una, & eadem potestas: at dæmoni non licet supra ordinem à Deo in natura constitutum insurgere, & sua voluntate perturbare. Si enim posset jamdiu arrogantiæ illius testimonia experti essent homines, & Dei ipsius optimi opera destruxisset omnia, tanquã illius conjuratus, at nimium imbecillis hostis. Si bruta animalia ope dæmonum fieri posse credamus homines: cur non sacro proluuntur baptismatis fonte bruta, quæ ex hominibus enascuntur animalia? quòd fortasse sint homines sic transformati, ne baptismatis sacro latice perfundantur, ut originali macula contaminati, unà cum eis ad æterna detrudantur supplicia. Cur membra truncate, & ab his mutatis hominibus separata, asinina, lupina, & similia non apparent: sed humana? potestne fieri, ut in separatione redeat forma humana, quæ in conjunctione, & vita, asinina erat, aut lupina contra naturale institutum? In morte omnia abeunt; & pereunt, & in hac sola transmutatione redeunt. Potestne fieri à natura ipsa, ut unico instanti, & temporis momento asini producatur, aut lupi, aut porci corpus, ad quod organizandum menses producit natura: & quod absurdius est, & ridiculosius, asininũ, lupinum, aut porcinum conservari corpus vivens, absque forma asinina, & porcina? anima rationalis potestne fungi suis officiis, & facultatibus in corpore asinino, lupino, aut porcino, vel simili animæ rationali improportionato corpore? non potest hæc natura, &

Homo magica arte non potest in brutum aut aliquod aliud verè permutari.

Rationes cur homo mutari nõ possit arte dæmonis in res alienas & contrarias humanæ naturæ.

dæmon naturale creatum poterit, imò tota cacodæmonum phalanx,& caterva hæc excogitare tanquam sibi possibile factu non auderet? Quòd si hæ metamorphoseως facultates, & energiæ concessæ illis essent, ô quot,& quantas ridiculas,& ad hominum pernitiem factas, Deique, naturæque contemptum cerneremus metamorphoses! arbores asinos ferrent, asini pompa, pyraque; homines autem parturirent pisciculos, lapides, metalla, fructus omnis generis, nec homo unquam ex homine nasceretur, tanto prosequitur odio homines dæmon: omnis denique naturæ ordo perturbaretur. Quod potestati, & voluntati creaturæ concedere, non solum delirare est; sed præter delirium, & væsanæ mentis vitium anathematis vitio contaminari. Non negandum quidem est dæmones hasce transmutationes, variis, & subtilissimis deludendi artibus,& suppositiis hominum visui, & sensibus aliis exhibere posse, ut audivi à quamplurimis hominibus fide dignis, qui ipsimet hasce metamorphoses viderant,& perceperant. Quemadmodum narratum est mihi ab amico dum Tholosæ agerem studiorum causa. Quod miles quidam satis animo constanti & audaci commilito suus,& charissimus dum Narbonæ degebat propugnandi gratia, die quadam serena,& amœnissima: Eamus inquit (amice mi) deambulatum, ut animi,& corporis deponamus mœstitiam,& segnitiem: quod cùm illi lubenti animo concessissem, gressus dirigimus nostros ad olivetum gratissimũ, prostratisq; armis solo considemus, ibiq; post multas confabulationes de rebus in bello gestis, & de futura pace, & Regis Henrici quarti magnanimitate, animo,& fortuna. Heus,inquit, visne aliquid rarum, & mirabile, & delectabile visu conspicere intra limites hujusce olive-

Historia spectri arte dæmonis facti.

olueti? vix annueram dictis, cùm arbores è conſpectu omnes evanuerant, & olivetum factum eſt ingens, & prægrande ſolum arboribus cunctis denudatum, in quo ſtatim mihi comparuere infiniti cataphracti milites, pedites, & equites exquiſitiſſimo ordine in aciem compoſiti: comparuit ſtatim ex altera parte numero par exercitus, qui eodem ornatu, & ordine contrà tendebat: audiebatur hinc inde armorum ſonitus, ingens militum clangor catapultarum bombus, ære ciere viros, Martémque accendere cantu, vulneratorum ejulatus, mortuorum caſus. Hinc capita, hinc brachia, hinc viſcera, & alia militum membra, unà cum eorum armis catapultarum impetu, & ſclopetorum igneo fulmine per aëra volitabant. Omnia ſanguis erat, cùm ego mihimet timere cœpi, &, Abeamus hinc, inquit, commilito, ne in nos ipſos ſæviant victores, eorúmque in nos convertatur furor, & ferrum. Subridens verò, diſcute timorem omnem inquit ex animo, has ego ſolus militum turmas nutu diſperdam; evanuerúntque ſtatim omnia illa phantaſmata, & redijt olivetum, quo gaudio perfuſus, abeamus inquam. Ille verò ut omnem prorſus excuteret timorem; Maneamus parum, & ientaculo reficiemus laſſatum corpus, & ſtatim quatiente brachio ex manica ſua veluti ex cornu Amalthææ effudit in herbam omnis generis fructus cum pane, ſaccharo, & ovis malaxato, de quibus omnibus ego ipſe cum commilitone meo edi, ad ſatietatem, & ad ſitim ſedandam evaginato pugione, perforatáque oliva, vinum perquàm optimum, florémque, & leporem ipſius Bacchi ex oliua affatim deprompſit, quo nos pluries proluimus, & hinc poſteà hilares abijmus. Percunctatus deinde amicus ille meus ſuum commilitonem, qua occulta vi, & quo naturæ arcano, & myſterio hæc miranda, & ſtu-

penda patraret, fassus est se dæmonum habere, & genium, qui illa omnia nutu suo, & voluntate illi administrabat, quo cognito eius in posterum semper fugit societatem, & amicitiæ, quam cum eo iniverat, renuntiavit. Sancita demum toto regno pace, is homo omni ex parte miser ad extremum inopiam est redactus, qui fructuum ferè omnium copiam in deserto porrexerat, & vini copia perfuderat amicam. Talia mihi dictavit amicus, & præterea asseruit se omnes quos magos esse norat, miseros omnes, & indignos conspexisse. Iam verò dicant mihi contrariæ sententiæ authores, an milites illi fictitij fuerint, an veri, & vivi? nullus certè tam væsanæ mentis erit, ut hæc fateatur. Non enim dæmon sua volũtate, & desiderio, homines sive magi sint, aut non, gubernat; ad voluntatem alterius magi, ut ipsi homines fictitij & suppostitij sortilegi desiderio, & voluntati cedebant: nã apparuerunt, & inter se pugnarunt, & evanuerunt ad nutum magi ista spectra amico suo propalantis. erant illi milites omnes, cæterique bellicæ pugnæ apparatus ex aërio corpore conflati. Tumultus autem, & sonitus, & catapultarum, & sclopetorum bombi intra cerebrum, & audiendi immediata organa astantium tantùm fiebant. Quæ verò visui subijciebantur ea quidem in aëre tamquã meteora volitabant, alioquin omnes alij, qui circum circa volitabant vel stabãt non fascinati ea audissent. Sicque tota Narbona, quæ penè nihil distabat perturbata fuisset, & ad arma convolassent milites stationarij eo tumultu convocati, pugnæque parati prodijssent, cùm tamen nullus ferè hominum exceptis ijs duobus, ea spectra viderint, vel audierint. Fictitia fuerũt ergo hæc omnia: fructus verò, & vinũ ex oliua depromptũ, & reliqua cuncta, quæ ad ientaculũ oblata fuerunt, ficta quidem poterant esse, & dæmon inter-

nis replere humoribus varijs ſtomachum ad ſatietatem;vel vera, & realia,quæ dæmon aliunde aſportarat. Quamplurimi enim ſunt, & varij modi, quibus dæmon hominem deludere poſſit; vel enim illi ſupponere poteſt res veras,quæ ſubitò deferuntur à dæmone ad locum ſpectro deſtinatum;vel aërem ad ſimilitudinem earum rerũ , quæ viſuntur effingit;vel ad imaginationem tantũ, & intellectum hæc repræſentat , efformatis in imaginatione rerum viſendarũ ſpeciebus,& faſcinatis oculis,vel certè non faſcinatis per reflexionem exteriùs eædem conſpiciuntur rerum ſpecies, non ſecus ac in ijs, qui phrenitide detenti, aut vino ſolum ſepulti aſſerunt,& clamant ſe videre multa ſpectra exteriùs,quæ tantum in imaginatione,ex vaporibus vini,& humoribus ebullientibus,veluti in aëre nubes contingenter efformantur, citòque abeunt, aliæque rerum ſpecies etiam apparent,ut contingit in ſomnijs ab una eadémque cauſa. Deludere etiam poteſt hominem dæmon, eum morbo aliquo phrenetico, & melancholico afficiẽs, ut ſecundum naturam ejus morbi ſe putet tantum eſſe quod non eſt Vel eum loco abripere, & alicubi ſomno ſepelire, & ipſemet dæmon agere ea, quæ homo ſomnians videt,ut in ecſtaſi ſagarum, & ſortilegorum aliorũ fit.Quod ſi in tali ecſtaſi corpus magi alicubi dæmon occultet , magũ profundiſſimo ſomno obvoluens,&dæmon agat quod ſomniat magus,putat ſe magus hæc agere inuiſibiliter, ſicq; inviſibiles ſe præſtãt magi; cùm tamen is qui agit dæmon ſit. & magus dormiat , ut multi fide digni viri experientia comprobarunt.Erat Scholaſticus Tholoſæ ſtudijs nauans operam magus, & ſortilegus, qui ingenuæ puellæ,& formoſæ amore deperibat, cujus nomen ob inſignem familiam tacebo; ipſe magus prima nocte, & ſub aurorã cubiculũ adibat puellæ,

Quibus modis dæmon deludat homines, ut ſpectra ſua ipſis opponat.

Inviſibilitas magorum quæ ſubtili arte fiat à dæmone.

ibique instrumenta musica pulsabat concentu gratissimo, cuius delicatissimus artifex erat ipse magnus, domo in eadem cum ipsa puella is ipse degebat; hi concentus ab omnibus audiebantur, nullo conspecto instrumento, nec ea instrumenta pulsante. Puellæ parens, multíque alij, qui ad audiendum convenerant tandem ad cubiculum ipsius hominis (namque ibidem pro pedagogo habebatur) ut eum à somno excitarent, & ad eos concentus audiendos perducerent, quos ipse alias audire, tamquam futiles ut dicebat, & timorem incutientes negligebat. Pulsant igitur ostium, compellántque hominem sæpe; sed irritus fuit, & vanus eorum clamor: effracto tandem ostio mortuum esse putantes, invenerunt dormientem instrumentis varijs musicis circumseptum, neque enim somno excitare potuerunt, donec finito concentu redijt ipse à somno, obstupefactus valde quòd dominus, multíque alij cubiculum intrassent, invenissentque tanto somno sepultum, & musicis instrumentis constipatum. Sic dæmon deludit, & magos, & à magis fascinatos. Sic in lycanthropis & alia simili metamorphose deluduntur, & lycanthropi ipsi, & homines, qui lycanthropos conspiciunt. Vel enim dæmon ipsos magos occultat, & occultatos somno dat, & imaginationi eorum repræsentant lupos esse. Ipse verò dæmon effícto ex aëre lupino corpore, agit quod lupus verus agere potest: quòd si inter agendum corpus effictum lædatur, dæmon subitò defert ictum similem dormienti; & sauciatur dormiens in eadem parte in qua læsum fuit ipsum effictum corpus à dæmone agitatum, & gubernatum, ut videre est quamplurimis in historijs à doctissimo Delrio recitatis in magicis disquisitionibus; vel si præsentes ipsi magi sunt, eorum corpus ambit aëre efformato in lupinum corpus, & ima-

Obscuri modi quibus utitur dæmon in transmu-

imaginationem perturbat dæmon, ita ut ſe lupos existiment, & ita lupi videantur ab alijs omnibus qui eos conſpiciunt, quod aërem latè illos ambientem, in lupinum corpus condenſatum, & effictum cernant, vel pellibus, & luporum mortuorum exuvijs eorum corpus circundat, & ambit, aut veſtit, ita ut adaptet membra membris, & accommodet ſemper imaginationi læſæ magi, ut ſe lupum verum exiſtimet. Qui duo ultimi modi frequentiùs à dæmone tentantur quotidie in ijs tranſmutationibus, ut pote illi faciliores, & accommodatiores, quàm alij omnes prædicti. Quòd ſi lupi tales effecti vires exuperent humanas, ut velocitate curſus, ululatuum præpotéti clamore, corporis fortitudine, laboríſque ſuſtinendi indefeſſa patientia, hoc eſt quod dæmon humanas vires adjuvet, & fortius, quàm par ſit propellat, ut videre eſt in dæmoniaco pneumate corruptis omnibus, qui miranda ſupra vires corporis humani patrant opera, & ut ego ipſe vidi in aſino, cuius in aure depoſito charactere aliquo magico, ilicò tolutim incedebat animo, aſperáque voce rudens, hinc inde ſaltibus, varijs, curſúque rapido corpus agitans, animum miro riſu exhilarabat aſtantium, veluti eſſet aliquis de novo factus equus Hiſpanicus, aut barbaricus erectis auriculis, collo, elatóque capite, torto, inflexo, caudáque in ſpinam elata, curſúque acto rapido, fortiſſimo impetu calces in aërem iactabat ambas, ilicóque totum corpus hornorum equorum propemodum nimbis ſubſultim in aërem ſublimabat tanta denique agebat miranda, ut equus etiam nobiliſſimus, & fortiſſimus aſini præſtantię ceſſiſſet; ſed poſtquam ex aure ſublatus erat character, proſtratus humi jacebat ferè mortuus. Sic exiſtimo lycanthroporum corpora poſtquam ad ſe redierunt, & veſtes illas incantatas depoſuerunt, vel tandem finitum

tindis mago um corporibus.

Vide lycanth. oporum corpora laſſata remaneant.

tum est carmen qualecumq, sit, esse valde confracta, & lassata, ídq; esse credunt præ labore, quod tamẽ provenit ex eo, quòd dæmon vires eorum supra humanas sustulit, & hinc fregit, & dispersit. Labor enim naturalis numquam adeò, & tam graviter frangit vires; ac labor præter naturã. Sic dæmones varijs id genus delusionibus supponunt hominibus, quod volunt, non tamen ea vera sunt; sed fictitia, & delusoria. Veras autem facere posse lycanthropias, aliásque similes hominum in bruta animalia permutationes absurdissimum est confiteri, & ab omni ratione alienum id solum excogitare. Quod verò attinet ad Platonicorum & Academicorum omnium metempsychoses, quas acerrimè, & alacriter multis fabulis ad hanc rem effictis, multísque ænigmatibus Academici sustinuerunt non ita ridiculæ sunt, ac dæmoniacæ istæ lycanthropiæ, modò æqua mentis lance ponderentur, imò possibiles sunt & naturales, & quotidie fiunt in insitu vegetantium manifestæ, & in animalium genere & mineralium eædem fieri possunt, ut declaravimus superiùs in fine capitis de calcinatione mineralium, ubi docuimus qua ratione lapis animalis, vegetalis, & mineralis possunt inter se converti, qua disputatione facilè colligi potest metempsychoses Platonicorum esse possibiles, quod ut planè intelligatur, ne ab invidis calumniari patiamur, metempsychosim apertissimis declaravimus verbis, & omnia quæ ad eam pertinent, quæque eam impediunt & impossibilem reddũt, huc etiam pari ratione referemus. Metempsychosis ergo Platonica ut possibilis sit, & naturalis de permutatione humidorum radicalium omnis generis intelligi debet; non de animarum migratione in corpora diversa. Sic enim impossibilis est, & fateor magno in errore versari authores omnes illius sectæ. Quòd si Academici animarum

Labor præter naturam vires frangit.

Academicorum metempsychosis qua ratione possibilis.

marum migratione intellexerunt; id verbo tenus dixerunt, & animas humida radicalia intellexerunt. Ipsa enim humida radicalia, quod animarum sint scaturigines, & fomites, atque conservationes, quibus detinentur in corporum ergastulis animæ dici possunt: qua ratione mundum hunc universum animam habere asseruerunt, quod humidum radicale ex elementorũ omnium spissitudinibus, cœlique totius subtilissimo, & invisibili spiritu conflatum haberet, ex quo educerentur totius mundi formæ, & animæ. Credo tamen Academicorum nonnullos fuisse magos, & sortilegos, qui hanc veram, & naturalem metempsychosim dæmoniacam fecerunt, & magicam, quæ ad lycanthropiam superiorem referri meretur. Nostra verò naturalis, & possibilis in unione humidorum radicalium consistit metempsychosis. Si enim vis animal aliquod transmutare in aliud, hoc est humidum radicale alicuius suis qualitatibus, & innatis virtutibus expoliare, ut alias habeat alterius animalis virtutes, & proprietates, nihil aliud tibi agendum, quàm arcanum habere animalis, quod transmutare in votis est purum, & nitidum, & ab omnibus sordibus elementarijs vindicatum, crudum, & incoctum, eóque per vices multoties iteratas imbibere arcanum perfectum, & omnibus numeris absolutum alterius animalis in quod vis mutari aliud arcanum incoctum, & crudum, sicque pedetentim fotu continui ignis levissimi, & actione, alterius arcani absoluti mutabitur illud crudum, & incoctum alterius animalis, in absolutum, & perfectum, & virtutes, & energias omnes habebit absoluti, & perfecti arcani, in quod mutatur. Eadem est ratio, & par methodus in permutandis alijs arcanis; ita ut rosa fiat pomum, pomúmque rosa, & lupus agnus, agnúsque lupus, non

Anima quid dicatur apud Academicos.

Mundus qua ratione animatus.

Metempsychosis naturalis qua ratione fiat.

Qua ratione lupus fieri possit agnus agnusque lupus.

non quòd agnus ita factus animales lupi habeat facultates, sed naturales tantum. Hoc est, si lupus etiam mortuus terrori sit maximo agnis omnibus, & ovibus; sic arcanum lupi, etiam arcano agni enutritum, & auctum detentum in stabulis terret oves omnes, & agnos: & arcanum agni, aut ovis etiam arcano lupi enutritum in eisdem stabulis defossum, aut sepultum eosdem fœlicitabit agnos, & oves, & ab omnibus arcebit malis, & morbis, solo odore per aëra sparso, & sic de reliquis omnibus, quæ ab elementorum mixtione dependent: sic astrorum omnium virtus, ac potestas, quæ radijs in hæc inferiora perfunditur, ab uno subiecto mutatur in alterum, delapsa in alium, non horæ, mensis, & temporis qualitate, non elementi proprietate, at virtute occulta characteris illius, aut alterius, aut verborum proprietate, quæ meræ nugæ sunt, & somnia sortilegorum. Proprietates enim, & occulta illa virtus cælestis, quæ eo nomine, ex hominum imperitia insignitur, in hæc inferiora non descendit horarum, temporum, verborum, & characterum proprietate; sed innata sua, & insita peculiari virtute, qua naturaliter tendit ad unionem spermatis elementorum, ut hinc unà cum elementis suo fungatur officio à Deo summo naturæ Creatore illis constituto. Quod officium nemo mortalium, & creaturarum impedire, aut perturbare potest, quidquid dicant magi, cæteríque qui gloriam, honorémque divinum suis cõvitijs deprimere in votis habent, quin tandem suis consuetis horarum momentis decidat in elementorum centrum, huícque physicè uniatur, & pariat humidum illud radicale totius mundi, à quo omnia dependent mixta, & cuius auxilio, & proprietate mixta elementaria, si quid virtutis cœlestis habent, ab hoc uno possident, tamquam cœlestium facultatum

Virtus cælestis quanam ratione descendat in hæc inferiora.

Delator facultatis cœlestis est mercurius mundi.

tum

tum solo delatore, non harum, vel illarum horarum ope, & temporum, aut characterum auxilio. fateor tamen in tempore delabi in hæc inferiora virtutem illam cœlestem, & in una hora, aut alio certo temporis momento planetarum potestates sibi invicem prædominari, prædominantésque suis prædominantibus impregnare mixta facultatibus, quæ ex prædominanti illa facultate planetarum sequuntur, & imitantur naturam, quorum facultates suo sinu coercent; sed id tempus, & hora non agit quamvis in tempora, & hora agatur; sed planeta qui est immediata causa ipsius effectus, semper enim illius, aut alterius planetæ vis, & facultas è cœlo descenderet prædominans alijs omnibus, si semper, & continuò ita disponeretur, & collocaretur; ac in prædominio suo constituitur, sed ut semper sint in perenni motu: eorum etiam virtus ascendit, & descendit, crescit, & diminuitur, secundùm sui motus rationem. Non desinunt tamen planetæ semper influere: at quia valde diminutè, & flaccidè respectu aliorũ prædominantium influunt, eorum tacemus influentias, & prædominantium tantum influentiarum meminimus. Vnde in unione nostra facienda perquàm optimum est scire, & præcognoscere planetarum prædominantium tempora, & horas, eo namq; temporis momento plus cœlestis alicujus planetæ facultas in arcanis nostris delegari potest, quàm in alio quovis, si planeta arcani unionem patientis amicus cognoscatur, spectandum ejus erit dominium, ut eo augeatur vis arcani. Quòd si interdum casu aliquo contingat unionem fieri arcani alicujus in prædominio suæ contrariæ constellationis, non impedit hæc virtus cœlestis arcano contraria perfectionem, & absolutionem arcani, ejúsque præpotentissimam vim, & energiam; sed eam non augmentat, nec meliorat.

Tempus & hora non imponunt actionem seu potentiam, & facultatem agendi in mixtu.

Influentiæ cœlestes nõ sunt contrariæ arcanis chymicis, ut possint virtutes eorũ diminuere.

liorat. Ratio eſt, quòd arcana noſtra potentiora ſint, & efficaciora ipſis quibuslibet influentijs. Habent enim ſecum inſperſiſſimum cœleſtem ſpiritum fixum, ratione cujus non timent fixum cœleſtem illũ ſpiritum ſed ejus vires frangunt & diminuunt: ſi verò coctum & fixum non haberent eorum ſpiritum, ſed crudum, incoctum, & infixum; certè tunc temporis cœleſtis illa virtus, ſeu fixus cœleſtis ſpiritus, quia copia ſua præpolleret, ſuas virtutes & proprietates imprimeret arcano infixo, & crudo, quas ſemper retineret, & ſi eſſent contrariæ, & adverſæ qualitatibus, & virtutibus arcani crudi eas aliquo modo infringeret, & ita temperaret ut tales non eſſent, ac fuiſſent, ſi virtutes cœleſtes adverſæ non fuiſſent, fierétque arcanum mediæ virtutis; ut contingit in animalium omnium ortu, & generatione. Dum enim eorum ſemen, & ſperma, ex utroque mare & femella depromitur, & in locum ſuum debitum, & generationi ſuæ proportionatum deponitur, quod huius ſeminis ſpiritus infixus ſit, & crudus, planteæ prædominantis ſpiritus infixus etiam copia ſua in eum habet ingreſſione ſua potentiam, cuius vi, & facultate ſpiritum generationis alterat, & ad ſuum diſponit temperamentum, hoc eſt qualitates, & energias, quas ſemper dum vivit retinet. Ideò Genethliaci Aſtrologi nativitatum momenta conſiderant, & contemplantur, ut temperamenta proprietates, facultates, & alia, quæ hinc conjectura quaſi certa depromi poſſunt animalium in toto vitæ curſu præcognoſcere poſſint. Illud enim inſtans, & momentum quo in lucem eduntur animalia idem, & ipſum eſt, ac illud, quo generantur, in quo virtus illa cœleſtis in ſperma & ſemen, ſuas imprimit facultates, & energias: quod capite de animalium unione dilucidius oſtendetur, ubi cauſas ſimilitudinis, & diſſimi-

Cur cœleſtes facultates in hominum, brutorumque ortu ſuas actiones & energias tunc temporis in corpus & animam imprimere poſſint.

ſimilitudinis,amoris, & odij proponemus. Sufficiat iam nobis hæc obiter dixiſſe, ut oſtendamus Chymicis omnibus,& Philoſophis virtutis cœleſtis vinculum in unione ſpermatum, ſeu ſpirituum fixorum, & infixorum elementaris ſeminis perfici, & devinciri adeò, ut cœlum in hac unione terra fiat, & elementum, eorúmque ſequatur naturam, & proprietatem, quamvis etiam terra, & elementum cœli cogatur ſequi, & imitari facultates, & energias; ſic enim invicem permiſcentur, & vinciuntur. At ut in prima mixtorum generatione elementa vincunt, & ſuperant cœlum, ita ut cœlum minimam habeat in mixto potentiam evidentem; adeóque exiguam, ut cœli ſcintillulas nullas percipere valeamus, quod elementorum corpora denſiſſima, craſſà, & multis; quamplurimiſque ſpurcitijs devincta jaceant in mixto; quæque etiam propter illud ipſum, quod excrementis conſpurcata ſint minimam habent in mixto actionem, & agendi facultatem. Vnde hinc ferè nulla exurgit agendi mixti poteſtas, in diéſque quotidie diminuitur, quod etiam in dies creſcant excrementa; quæ illam actionem ſuffocant; in tantam demum ſunt excrementa molem, ut vitam omnino extinguant, & agendi poteſtatem omnem è mixti centro, & theatro deijciant. Hinc mors ſequetur univerſa, & finis, & periodus ultima totius generationis iſtius mundi, quæ certo certius hinc colligitur. Si enim in perpetuas æternitates duraturæ eſſent iſtius mundi generationes, mixta quæ ſunt effectus generationum, æqualem ſemper retinerent agendi poteſtatem, & æquè præpotentes vires, & energias, ac ſemper ab hominum memoria habuerunt; quas tamen ita mutatas, & diminutas jam ſecum retinent, ut mixta diverſa ab antiquis eſſe videantur. In homine ſolo

Cælum qua ratione terra fiat, & terra cælum.

Mors generalis unde colligi poſſit.

id Sole clariùs lucet. Vita eius prioribus ſæculis annorum millibus numerabatur; deinde octingenteſimis, quingenteſimis, quadringenteſimis perdurabat annis. Iam verò corvo albo rariùs eſt, ſi hominem centenarium conſpiciamus, imò rari ſunt, qui octogenis durent annis, & climacterica ſuperent annorum pericula. Quid? planetæ iam omnes, & arbores, & reliqua quæ ad hominum propagandam vitam, ſanitatémque tuendam evocabantur, quid virium antiquatum habent? qualíſnam morbus iam radicibus extirpatur, & plantarum folijs demulcetur? adeò languidæ ſunt plantarum vires, & effœtæ, ut morborum curandi poteſtas potiùs concedatur naturæ per criſes morborum curationem molienti, quàm remedijs ullis arte medica paratis. Omnes denique totius mundi poteſtates, vires, & agendi facultates adeò flacceſcunt ab excrementorum copia, qua turgent, ut penè jam extinguatur, & periodus ultima generationis jam prope inſtare videatur. Sicut ergo in rerum mixtione prima agendi vis, & facultas, excrementorum copia, quæ à naturali elementorum permixtione dependet, omnino ferè extinguitur, quòd in dies ipſorum excrementorum acervus accreſcat; ac magis, ac magis accumuletur; diſpari ratione eadem agendi omnium rerum vis, & facultas in ſecunda rerum mixtione augetur, quod in eadem ipſa ſecunda rerum mixtione excrementa quæcumque omniū elementorum diſſipantur, & ſeparantur à miſcendis elementorum ſpiſſitudinibus, à quibus mixta fiunt, & exoriuntur, adeò ut partes mixtorum ab omnibus excrementis vindicatæ puram inter ſe ineant unionem, cuius puritatis amicitia adeò uniuntur, ut in perpetuas ferè æternitates inter ſe devinciantur abſque ullo ſuæ ſocietatis diſſidio, cùm nullas partes inter ſe pugnan-

Cur in unione Chymica virtutes mixtorum creſcant.

gnan-

gnantes, & diſſidentes ſuæ unionis centro coërceant, à quibus ſolis in mixtis diſſidium, & divortium dependet. Hæ autem partes diſſidentes & contrariæ ab excrementis originem habent. In ſecunda ergo noſtra unione, cùm nulla ſint excrementa, maior aderit agendi facultas, quàm in prima, quam excrementis turgere, & ſcatere demonſtravimus, quæ quidem in prima ſui compoſitione præpotentiſſimam habebat agendi vim, quod adhuc primis in ſæculis infinitus & ingens excrementorum acervus vim illam agendi non ſuffocabat: in ſecunda autem noſtra unione, excrementis omnibus diſſipatis, uniendarum partium quidni ingens aderit, & infinita ferè agendi facultas? ibi puriſſima aderunt elementa, ibi illis puriſſimum unitum cœlum: puriſſimam ergo adeſſe agendi actionem in hiſce mixtis, quæ unionem noſtram paſſa ſunt, fateri neceſſe eſt. Ex his enim omnibus puriſſima, & ſimpliciſſima exoritur actio. Simpliciſſima autem actio omnium actionum præpotentiſſima eſt, & validiſſima. Id in hominibus futura vita, omnibúsque Chriſtianis expectando divino ſæculo, & æterno faventibus experiri licet, & in angelis, & dæmonibus, qui omnes, cùm ſimplices actus ſint, potentiſſimam etiam habent agendi potentiam & facultatem. Vnio ergo noſtra Spagyrica, cùm mixtorum partes ad ſimpliciſſimum ſui eſſe reducat puritate, & nitore ſuo inexhauſtam agendi vim, & energiam mixtis omnibus ſuis elargietur, quod ex ſequentibus capitulis clariùs elucebit.

Simplex actio unde oriatur.

Simplex actio, hoc eſt à pura potentia, eſt omnium potentiſſima.

Quare arcana chymica ſint potentiſſima.

CAP. XXII.

De Coniunctione seu Vnione Vegetantium.

Vnio quid. EX præcedenti Capite satis, supérque claret quid per vegetantium unionem intelligam. Si enim in communi unionem definiverimus conjunctionem animæ puræ (quam humidum volatile radicale intelligimus) cum corpore itidem puro, & nitido, quod humidum fixum radicale interpretamur, satis inquam patebit Chymicis omnibus vegetantium unionem in eorum humido radicali tum infixo, & volatili, tum fixo, & permanenti consistere. *Vnio vegetantium in quo consistit.* In superioribus capitibus satis admodum declaravimus, humidorũ omnium tum vegetantium, tum animantium, & mineralium naturam qualitates, & energias, ut jam omnibus hisce prælectis per quàm optimè patere existimem, nec opus erit mihi eadem repetere: sufficiet nobis tantùm energias, & proprietates peculiares humidi radicalis vegetantium, quas de novo potentiores, & efficaciores in unione suarum partium propter earumdé puritatem acquirit enarrare, quáque vi fieri possit vegetantium unio tam firma, & constans, ut non amplius ferè senescant; sed in longissimas temporum ætates vivida permaneant. *Vnde spagyrica arcana virtuosiora sint mixtis omnibus.* In primis ergo virtutes potentiores, & efficaciores habent arcana nostra, quæ ex vegetantium genere extracta sunt, quæque unionem nostram secundum omnes suas debitas conditiones passa sunt, quàm vegetantia ipsa vivida, & florida duplici ratione; prima quòd majorem habeant, & suo sinu coërceant humidi radicalis tum volatilis, tum fixi copiam, quàm vegetantia simplicia è terræ sinu enata: secunda quòd illa major quantitas humidi radicalis purior sit & nitidior, & ab

omni-

omnibus elementorum excrementis expurgatior in hisce nostris Spagyricis arcanis, quàm in vegetantibus simplicibus. Major autem quantitas humidi radicalis,& purior,maiorem, potentiorem, & vehementiorem dat agendi facultatem. Actio enim omnis dependet immediatè ex forma; sed illa forma qualiscumque sit agere non potest, quin utatur calore nativo,& naturali humidi radicalis,tanquam actionis omnis instrumento. Calor ille nativus, & insitus,ut copiosior est & vehementior, ita etiam pari ratione formæ actio potentior est; in copiosiori ergo humido radicali, & nitidiori, & puriori copiosior est calor, & vehementior. Cum ergo hæc in arcanis Spagyricis reperiantur, eadem etiam in iisdem reperiri necesse est. Actio autem omnis quòd dependeat in vehementia sua,&potentia ex puritate calidi hinc colligitur, quòd calor in impuro subiecto extinguatur,& suffocetur ab excrementis quibus pollet subiectum in quo viget calor, ut clarissimè,& apertissimè patet in omnibus elementariæ vitæ mixtis, quæ quidem dum florida vigent ætate in qua minor est excrementorum elementarium acervus & copia, actione pollent vehementiori; dum verò flaccida, & senecta ætate vivunt minima est eorum omnium actio,& facultas; in ea autem ætate pollent copia sua excrementa elementaria, quæ nativum calorem extinguunt; in media autem ætate valet calor nativus. Hinc sole clarius patet omnem agendi facultatem, & potentiam ex nativi caloris copia, & fortitudine dependere,& ex eius puritate, & nitore. Vnde cum arcana vegetantium Spagyrica arte pura sint, & nitida, eorúmque calor nativus auctus & multiplicatus admodum sit: hinc facilè colligere licet arcana Spagyrica,tum vegetantiū, tum animantium, & aliorum habere agendi facultatem potentio-

Actio omnis a forma.

Facultas agendi unde dependeat.

tiorem, & vehementiorem cæteris omnibus simplicibus mixtis, quæ natura spontaneo suo conatu ex suo depromit sinu. Adeóque potentiores sunt illæ facultates ut præpotentia, & vi maiore nouæ quædam videantur esse facultates. Hinc enim fertilitas, quàm maxima in omnibus vegetantium generibus exoritur, si vegetantium corpora adhuc in terris viventia arcanis aqua delibutis dilutis, & dissolutis perfundantur, maiorem enim eo pacto ferent fructuũ copiam, quàm si ea & tali irrigatione eorum radices non inebriarentur. Si enim aliquando contingat, ut sæpe sæpius videtur quòd arbores in uno anno plus ferant fructus, quàm in alio, quòd in eo in quo majorem ferant copiam fructuum major cœlo decidat spiritus vitæ in terram. Major autem, & copiosior decidit vitæ spiritus in uno anno quàm in alio, quod aëris universus ambitus, & sphæra humidior, & frigidior sit in quibusdam temporum conditionibus, & cõstellationibus, vel costellationum dispositione, quàm in alijs. Tunc autem temporis spiritus vitæ igneus, & æthereus aëris ambientis humiditate, & frigiditate condensatur in aquam, & madoris ope, & auxilio terræ poros permeat, & his miscetur, & unitur. Hinc omnia, quæ in terris vivunt, & habent esse ex tali succo, qui ex spiritu illo cœlesti, & madore elementari conflatur, sumunt alimentum, & crescunt, & pullulant, & germinant. Quòd si peculiaribus cœli constellationibus aër ambiens toto anni cursu, & periodo calore, & siccitate incandescant præter hyemis, reliquorúmq; temporũ constitutiones, & solitos status; tunc vitalis ille spiritus per cœli concavum invisibiliter volitans, non elementis permiscetur; sed in suo esse permanet æthereo, & igneo. Vnde non potest communicari mixtis, & terræ viventibus: hinc sequitur sterilitas quàm maxima,

Cur arbores in uno anno plus ferant fructus quam in alio.

Vnde universalis oriatur sterilitas.

xima, & mors rerum omnium. Sic cœli conditor intortum constituit Zodiacum solis iter, & viam, ut ex ea intorta via varios constitueret temporum status tum frigidos, moderatos, & calidos, alterata diversimodi aëris regione, & ut ex ea alteratione spiritus mundi, vitæ fons, & scaturigo tandem elementis permisceretur, & fieret elementum illud quintum de quo infiniti fere philosophi somniarunt potius, quàm aliquid veri de eo enunciarint.

Zona torrida unde fertilis sit.

Sic zona torrida pars illa terræ, quæ Zodiaco cœli respondet, quæ perpetuis, & rectis solis radiis exuri deberet; hincque sterilem esse excogitarunt antiqui, peculiari naturæ dote fontibus quamplurimis, fluviis, & rivulis infinitis irrigatur, ex quibus omnibus solis ardor tot, & tantos elicit, & sublimat vapores, quibus naturalis, & cœlestis regionis calor adeò infringitur pluviis quamplurimis è cœlo in terram sparsis & profusis ut torridæ non zonę nomen, sed temperatissimæ potius mereatur, & fertissimæ, ut experienta ipsa comprobatum est, & visum. Vapores enim illi qui sursum à calore solis sublimantur copiosi, & multi aëris infimæ regionis & mediæ locos adeò contemperant, ut inibi convertãtur ipsi in pluvias, & rores, quibus permixtus spiritus mundi aqua fit unà cum illis, & decidit in terram, à quo deinde solo uberrima illa illius terræ fertilitas. Ex hac naturali spiritus mundi in aquam, & rorem conversione colligunt omnes Spagyricæ artis alumni spiritus ejusdem ad opera chymica in aquam philosophicam conversionem fieri debere, eadem penitus methodo, & ratione in vasis nostris chymicis; ac in mundo universo intra cœli concavum quotidie in rores, pruinas, pluvias, & grandines mutatur. Sicut enim in macrocosmo calor solis attrahit, & sublimat in æthera vapores ex quibus

Qua ratione spiritus Sagyricus, seu mercurius Philosophorum in aquam cogi possit.

nubes fiunt, quibus invisibiles spiritus mundi permiscetur, eorumque tempore, & madore perpetuo pedetentim aqua fiunt, tum vapor à sole sublimatus, tum spiritus mundi vaporibus permixtis; sic etiam in vasculis nostris spiritus Spagyricus intra poros aquæ radicalis superfluæ, & excrementiæ conclusus, dum tepidissimo calore fovetur volitat undiquaque per vasculorum vacuum, ubi cum vaporibus ex aqua ab eodem tepido calore elevatis permiscetur, & pedetentim unà cum vaporibus in aquam transit, quæ est prima elementaris unio in qua primò spritus mundi radicalis cujuscunque mixti pars integrans non perfectè & absolutè partibus elementariis mixti conjunctus, & adunatus conjungitur & humidæ parti adnectitur, ut hinc solidis partibus adnecti queat, & perfectè totum compositum absolvere, & perficere possit: tractari siquidem, & in opus redigi Spagyricum alioquin minimè potest ut alibi diximus, cum merus sit spiritus, & invisibilis quidam vapor solo olfactu perceptibils sulphuris nidori respondens, aut aquæ ardentis spiritus odori: mutatur in quascumque naturas, & rerum essentias, nunc in ignem, nunc in aquam, & nunc in terram, quocunque vult rapitur verus hujus mundi, totiusque naturæ Protenus. Unde præclarè dixere Sophi antiqui lapidem philosophorum ubique reperiri, quòd ejus spiritus, & anima sine quibus effici non potest ubique volitet, ad conservandos totius naturæ filios, & alumnos, quorum corpori invisibiliter, & indissolubili vinculo dum vivunt, & valent in esse suo connectuntur. Quia tamen purissimè, & nitidissimè quoad partes suas integrantes uniri non valeant, ideò eorum unio non perpetua est, ut excrementorum causa dissolutioni obnoxia est. Hinc ut

& ani-

& animalia perfecta, & absoluta moriuntur, arbores, & plantæ, quod eorum spiritus, & anima à corpore tandem disjungantur: mors autem nihil aliud est, quàm segregatio spiritus, & animæ à corpore cui in unum connectebantur. In lapidibus autem perfectis, & pretiosus mors non sequitur, quòd eorum unio in puro consistat quod excrementi nesciat dissolutionem pati non potest. Lapides verò impuri alii, & imperfecti dissolutionem patiuntur, & in pulverem tandem rediguntur. Hinc etiam mori lapides ejusmodi asserere possumus, æquè ut & reliqua naturæ viventia. Constant enim pariter anima, & spiritu, quibus habent esse quod aliorum vitæ assimilatur, ut clariùs videbitur, & fusiùs disputabitur capite de unione mineralium.

Lapides mori dicere possumus cum, & vivant.

In puro ergo cùm consistat vitæ perennitas, ut ex cœlis patet, lapidibus pretiosis, & metallis perfectis, si hanc perennitatem, aut saltem huic respondentem habere in plantis, & arboribus cupiamus, ut purè vivant, & nutriantur necesse est: purè autem vivere, & nutriri non valent nisi arcano vegetanti tanquam medicamento panaceo sæpissimè foveantur, ut eorum omnium calor augeatur, & valeat focillatus ab alio potentissimo, ut excrementa cuncta, quæ unà cum alimento suo quotidiano sugere coguntur, excernere possint. Si ergo hoc ita peragatur, in vegetantium genere, vivent & durabunt perennius arbores, & plantæ, & ferent fructus copiosiores, ut assolent si fimis, & stercoribus earum radices perfundantur, quo tali fotu earum omnium calor augeatur, & crescat, qui est totius fertilitatis principium, & scaturigo.

Vita perennitas in puro consistit.

Vnde fimus, & stercora augeant fertilitatem.

CAP.

CAP. XXIV.

De Conjunctione seu Unione Animantium.

Vnio hìc sumitur latè sumpto vocabulo pro quacunq; conjunctione, & mixtione.

Vita quid.

ANimantium vita in unione consistit, ut eorum mors in dissolutione. Hinc animantium unio, perfectè tractari non potest, quin & eorum vita etiam tractari queat. Vita ergo animantium omnium cùm nihil aliud sit, quàm permanentia caloris cœlestis in subjecto ex spissitudine elementorum omnium coadunato, in quorum unione resultat anima sentiens, vegetans, aut rationalis, inducentur ex proportionata hujusce subjecti præparatione. Subjectum enim cui connecti debet calor ille cœlestis, Zenonis Deus, peculiares quasdam subire meretur præparationes antequam anima sentiens ex eo educi, aut rationalis in illud educi queat. Secundum enim varias hujusce universalis totius naturæ fundamenti præparationes, seu alterationes calor ille cœlestis ex eo educit varias etiam formas, & animas, quæ ejusdem subjecti distinctionem cõstituunt, & in varias partiuntur species, generaque producunt diversa, alioquin ex unico subjecto fundamento, & materia eadem, & eodem similiq; agente non possent diversa produci, & enasci; sed omnia similia essent nec darentur species neq; genera diversa: sed calor ille cœlestis ex diversis suis præparationibus, quas inducit actione sua in materiam sibi suppositam, diversas acquirit agendi potentias, quod ex iis peculiaribus præparationibus peculiares etiam enascantur qualitates, quæ agendi principia habentur. Sic in materiam animalem, hoc est quæ fieri debet tandem animal, calor agens primò mutat illam in carnem, seu ut melius loquar in embrionem, mutato priùs semine in spumosam lacteam

Vnde genera & species diversæ fiant, & oriantur.

Calor cœlestis unde diversas habeat agendi potentias.

Animal qua ratione fiat.

lacteam ſubſtantiam, quæ iterum coloratur in ſanguinem, deinde congelatur antequam in embrionem, ceu carnem mutetur, quæ deinde delineatur, & in membra corporis diverſa diſtinguitur. Tunc enim calor cœleſtis tum externus in utero, tum internus in ſemine, quod formam animalis occupet, & gubernet, vitales ſecum habens actiones, vitales etiam in ſemen introducit præparationes, quę cùm perfectæ ſunt, & ad ultimum terminum perfectionis deductæ, vitam ilicò, & formam animalis ſibi vendicant naturali, divinoque contractu inter ſe ad has mundanas obeundas actiones colligatæ. Ad hunc ſcopum vergunt omnes totius orbis actiones tanquam ad omnium præſtantiſſimum: animalia ſiquidem cęteris omnibus totius mundi rebus pręſtant, & antecellunt, tum quòd eorum ſpiſſitudo elementaris, qua conſtant, purior omnibus ſit, & ſublimior, tum quòd forma ejus ſpiſſitudinis ſubliniores, & nobiliores omnibus aliis elementaribus mixtis producat actiones & facultates, in eo etiam gradu quieſcere vellet natura omni conatu ſuo propter ejus præſtantiam, quia tamen elementaris ſpiſſitudo in qua radicatur, labilis eſt, & fluxilis, ideò etiam ex tali gradu in deteriores dejicitur in uno citiùs, quàm in alio, citiùs hiſce temporibus, & ſæculis, quàm in præteritis, & primis naturæ ætatibus, idque multis de cauſis: in primis, quòd in principio rerum naturæ conditor Deus omnia creavit in gradu perfectiſſimo, ut ex eo, etſi in deteriores naturæ gradus ſemper abirent, deducerentur ad ultimum ſuæ finis, & corruptionis terminum. Nã ſi à mundo condito hominum vita octingentis aut nongentis annis brevior facta fuerit, & decreverit, non dubitandum eſt quin periiſſet jam mundus totus, & hominum genus, ſi à principio creationis homi-

Cur animalia cæteris præſtent rebus.

Vnde mortis neceſſitas.

Antiquorum vita cur longior.

hominum vita centena fuiſſent. Itaque cùm hominum vita ſingulis ſæculis abbreviari deberet, primis ſæculis longiſſima eſſe debuit, ut in perpetuo ſuæ abbreviationis curſu ultimum ſuæ durationis terminum pertingeret. Secundò, erat antiquorum vita longior, quòd eorum humidum radicale purius fuerit, & ab omnibus elementariis excrementis magis vendicatum, quàm nũc temporis, in quo ſæculorum præteritorum longiſſimo curſu adeò emarcuit, ut nihil aliud præter excrementum mortiferum eſſe videatur, & miror ipſe qua ratione naturali vita cum tot, tantisque excrementis præter naturam ſuam uniri poſſit, & cum illis ad aliquod tempus perdurare. Nam vita ipſa, cùm actus ſit puriſſimus, & purior omnibus actibus elementariis, materiam impuram, craſſam, & fœculentam informare non poteſt adeò facile, quin Philoſophis pariat admirationem, & aliquid ſupra naturam reperiri debeat, quod has uniones ſua infinita potentia foveat, & gubernet. Nam ſi verum ſit vulgare illud, ac tritum axioma, quod proverbii vices gerit ad impoſſibile demonſtrandum, terræ cœlum miſceri non poſſe, quis eſt hominum adeò ignarus, qui vitam, ſeu animam cœlo nullis paraſangis puritate clariorem, & ſublimiorem, terræ, aut potiùs terreis excrementis uniri poſſe excogitet? Attamen id ſingulis horis, ſingulisque horarum momentis, per totum terrarum orbem quotidie celebratur: & tamen nemo mehercule, nemo divinitatis radium in eo potiſſimùm elucere decernit, ſed totũ illud opus naturalibus concedit viribus, quæ tamen ex ſeipſis tantum moliri non poſſunt, quidquid fremant Peripateticorum omnium turmæ, cùm Jovis omnia plena ſint, ut eorum actiones ab ipſius præſentia foveantur, & dirigantur. Tertiò lon-

Secunda ratio cur hominum antiquorũ vita longior.

Deum eſſe ex unione animæ cũ ſpiſſitudine elementorum colligitur.

longævi erant homines primis in ſæculis quòd eorum alimentum, quo vitam ſuſtentabant, & humidum radicale deperditum reparabant eſſet purius, & calore vitali, & humido valentius, quàm nunc eſt, quòd frigiditate valet ſumma, & excrementis pollet copioſiſſimis, quorum ratione vita noſtra ſuſtentari non poteſt, nec ad multum perdurare tempus, & nî arte noſtra excrementa aliquatenus ex alimentis hujuſce ſæculi ſepararentur vita adhuc brevior eſſet, quàm eſt. Stomachus enim cruda non poſſet dirigere alimenta, ut antiquitus, unde in morbos incurreret frequentiores, quin humidum radicale radicitus depopulantur. Frigidius autem multò eſt humidum noſtrum radicale, humido radicali hominum primæ ætatis, quòd calor innatus cœleſtis, & æthereus, qui ſocius eſt oleoſæ illius, & glutinoſæ ſubſtantiæ, quæ humidum conſtituit radicale, non ſit ſua natura ita fixus, & permanens, quin tandem evaneſcat, & in æthera verſus ſuam regionem avolet, & patrios inviſat penates. Sic patres noſtri non poſſunt ſemine ſuo calorem innatum, & humidum radicale nobis communicare fortius, & potentius, quàm ipſimet habeant. Unde ſequi neceſſe eſt nos ipſos hominibus primæ ætatis eſſe multò frigidiores, & hinc etiam vitam degere breviorem, cum vita brevis, & longa ex imbecillitate caloris nativi, & plenitudine, aut fortitudine dependeat.

Tertia ratio de vita longitudine hominũ primæ ætatis.

Humidum noſtrũ frigidius eſt humido radicali hominũ primæ ætatis.

Vita brevis & longa, unde vel ex quibus dependeat.

Ex longa hac, & præmeditata præſentis ſermonis digreſſione philochymicus intelliget, qua ratione arcana chymica animalium unione chymica egeant, ut potentiſſima ſint, & virtutes omnes, & proprietates, quas habere aſſerunt chymici omnes certo certius habeant, ne dicatur in chymicos proverbio communi promittunt chymici & eorum

Sola-

Solatur stolidos promittere, non dare, nullos,
Promissis dives quilibet esse potest,

Tali fatui cachinni turbine fertur hominum vulgus in philosophos chymicos, ut tamen tandem compescant risum non aureos illos montes promittere oportet, & vana illa sæpissime chymicorũ sophistarum miracula; sed res ipsas oculis ipsis obiicere, & manibus opponere non tamen omnium; sed eorum, qui tantum dignantur donis.

Arcani animalis absoluta perfectio.

Ut ergo animantium arcanum ad ultimum suæ perfectionis terminum deducatur; & omnibus innotescat eorum virtus, & energia. Humidum illud radicale fixum, purum, putum cum humido alio radicali infixo, & volatili etiam puro, puto conjungendum est, ut in illa conjunctione simul misceantur, mixtaque simul unum tandem fiant inseparabile fixum, & permanens non secus, ac uniuntur primitus in utero alicujus animalis, dum ex eorum unione resultat anima, seu actus ille perfectionis, qui totum complet, & perficit. Natura enim tunc temporis naturali instinctu purũ ab impuro quantum potest separat, & seligit calore suo, qui omnis separationis verum, & unicum instrumentum est, & principium, ut substantias illas (humidum nempe radicale fixum, & humidum radicale volatile) puras putas habere possit in quantum possunt vires suæ naturales per excretricem suam facultatem, ut hinc intentum opus perficere queat. Excrementa enim, hoc est, partes heterogeneæ, quæ non sunt ex substantia ipsius utriusque humidi radicalis impediunt sæpissimè veram animalium generationem, quòd hæ partes calidi & humidi radicalis virtutem, & energiam extinguant, & perdant. Sic etiam in arcano animaliũ quod ex eorundem humido utroque radicali componitur, nî ambo humida pura sint

ſint antequam conjunguntur, ſimul congelari non poterunt, & nî congelentur unum fieri non poſſunt ſubtile, penetrans, & virtutem ſuam, & energiam communicans. Quod tamen omne ſummopere requiritur in arcanis omnibus Spagyricis, ut miram illam, & miraculis plenam oſtendant virtutem, & emergiam.

Mixta ſiquidem omnia naturalia virtutem eandem, & æquè potentem habent cum arcanis chymicis. Attamen, cùm mixta naturalia non habeant ſubtilitatem tantam propter excrementa quibus ſcatent, quantam habent arcana chymicc cùm nullis turgeant ſpurcitiis elementorum non communicant etiam virtutem adeò fortiorem, & potentiorem ſubjectis, quibus induntur, quàm arcana chymica: mixta autem naturalia ob elementarem craſſitiem, & quòd eorum interna virtus, quæ in mercurio eorum latitat infinitis fere ſuffocetur excrementorum acervis, non poſſunt in actum reducere eorum energicas qualitates, non ſecus, ac ſpiritus vini in vino ipſo quamtumvis potentiſſimo flammam concipere non poteſt, quin ſeparetur à vino hoc eſt à corpore phlegmatico in quo reſidet, & latitat moderatis ſuarũ virtutum habenis phlegmatico illo excremento, quo ſemper turget ex ſuo naturali ortu. Quò enim minori copia turget illius excrementi aquei, eò etiam vinum potentius eſt, & vinoſius. Ea etenim ſubſtantia ætherea quæ aquam ardentem conſtituit vinum ſolum eſt. Reliqua verò ſunt excrementa naturalia, quæ non potuerunt ſeparari in ebullitione naturali vini, & quatenus partes ſunt diverſæ ſubſtantiæ, & adverſantes vinoſæ ſubſtantiæ eatenus etiam ejus virtutem & energiam obtundunt. Pari ratione excrementa maxima, & quæ prægnandi cumulo reperi-

Phlegma vini virtutem vini obtundit.

S ūntur

Excrementa impediunt virtutes mixtorum.

untur in mixtis naturalibus impediunt virtutes eorum, quòd contraria ſint ſubſtantiæ in qua virtus, & efficacia uniuscujusque mixti latitat. Unde excogitarunt philoſophi Spagyrici hæc excrementa ſeparare, ut ſubſtantia illa virtuoſa in mixtis ab excrementis vendicata potentias ſuas in actum reducere poſſet. Hinc arcana Chymica omnia fortiùs agunt, quàm mixta naturalia, etſi centralem eandem, & æqualem arcanis chymicis habeant virtutem ex rationibus anteà dictis.

Ratio cur antiquitus mixta virtuoſiora erant.

Antiquitus in primis ipſis creationis mundi ſæculis mixta naturalia omnia efficaciora multò, & virtuoſiora erant, quã nunc temporis, quod virtus centralis uniuscujusq; ſubſtantiæ recenter implantata, & radicata unicuique humido radicali eſſet. Et hinc ab excrementis multis magis emunctam eſſe oportebat, hincq; fortiorem habere virtutem modo fixam virtus haberet ſpiſſitudinem elementarẽ: ex fixione enim ſpiſſitudinis elementorum, quæ alio nomine humidi radicalis ſubſtantia dici poſſet, dependet fortitudo agendi. Plus enim pueri caloris habent adoleſcentibus, & viris; non tamen fortiores ſunt, quòd non habeant plus caloris fixi, hoc eſt humidi radicalis ſubſtantiæ fixæ, ac habent viri, & adoleſcentes, qui humido radicali fixo pollent. Unde hæ ætates cæteris ætatibus omnibus in fortitudine, & agendi virtute præcellunt. Pueri tamen plus caloris ſeu humidi radicalis cæteris omnibus habent, infixi ſcilicet, & volatilis, cui ſoli humido totius actionis, imbecillitatis principium refertur.

Ratio cur pueri etſi ſint omnibus calidiores, non tamen fortiores ſint.

Vndenam fortitudo, & robur virorũ & adoleſcentum.

Fortitudo verò, & potentiſſima energia omnis actionis fixę ſubſtantiæ humidi radicalis referri meretur, qua cum polleant viri, & adoleſcentes cæteris omnibus, ſenibus putà, & pueris fortiores ſunt, & robuſtiores. Senes tamen dicet phyſiculus miſochymi-

chymicus deberent ex noſtra ipſa ſubſtantia eſſe fortiores viris ipſis, & adoleſcentibus, quòd ſubſtantia illa fixa humidi radicalis, quæ eſt principiũ, & fundamentum totius fortitudinis, & roboris tractu ipſo temporis fixior eſſe deberet in ſenibus, quàm in reliquis. Calor enim naturalis continuò agendo in ipſam ſubſtantiam eam ipſam fixare deberet ut in auro, & in lapidibus: in quibus ſubſtantia illa humidi radicalis calore ſuo naturali pedetẽtim fixata inalterabilis tandem quovis agentis impetu perſiſtet. Reſpondemus ſenes quidem fixiorem habere illam ſubſtantiam radicalem, qua vivunt, ſubſtantia illa, qua vivunt viri, & adoleſcentes. Attamen ſenes habere adeò paucam illam ſubſtantiam, tantiſque frigidis excrementis obrutam ut vis ejus, & robur minus admodum ſit robore, & virtute ſubſtantiæ radicalis adoleſcentium, & virorum: quæ quidem ſubſtantia cum vigeat copia in viris & adoleſcentibus, vires etiam majores exhibet, & exercet in ipſis, quàm in ſenibus non ratione fixionis; ſed ratione copiæ, & ubertatis, qua turget in viris, & adoleſcentibus. Conjunctio, ſeu unio in arcanis chymicis ideò celebratur, quod arcana chymica in conjunctione, ſeu unione partiũ ſuarum ſubſtantiam puram nitidam, & ab omnibus excrementis heterogeneis vendicatam, & calore nativo æthereo, & cœleſti turgentem habeant beneficio illius ſolius unionis, & conjunctionis. Quidquid enim eſt caloris nativi, & cœleſtis, & humidi radicalis puriſſimi in prægrandi corpore, id omne beneficio unionis noſtræ, & conjunctionis in minimo Saccharino nativo corpore occultamus, & cõcludimus, totumq; cœlũ, hoc eſt influentias cœleſtes, quæ in nativitate cujuſcunq; animalis in ſemine, & ſpermate ipſius animalis generaturi, & productu-

Ratio cur ſenibus non ſint vires fortiores, quam viris & adoleſcentibus.

Calor nativus prægrandis corporis minimo corpore poteſt coerceri.

ducturi vigebant, in novo, & regenerato quasi corpore, vegetiores, & ad agendum promptiores coërcemus. Quod enim è cœlo descendit in hæc inferiora, dum semel unitum est cũ illis nulla arte, nec ulla morte naturali potest unquam separari ab inferioribus, quibus unitur. Potest quidẽ virtus ejus, & energia ita eneruari, & diminui ratione copiosæ materiȩ extraneȩ, cui non potest uniri, ut ferè mortuum, & extinctum appareat, at semper immotu permanet, & illæsum in centro ipsius unctuosæ fixæ mixtorum omnium materiæ, quæ cum ipsamet, ut antea declaratum est incorruptibilis sit, & corruptionis legibus non subjiciatur; illud etiã ipsum, quod est præcipua illius essentia, incorruptibile fore necesse est. Cœlum autem est ejusmodi. Materia namque unctuosa fixa, cujuscunque animalis, aut alicujus alterius elementaris naturæ compositi non potest ex se sola, è centro suo tot & tantas productionum myriades educere absque suo cœlo interno, quod est illi coævum, & coæternum, quòd illas omnes alterationis proprietates naturali, & peculiari sua innata agendi virtute in centro ipsius materiæ suscitat, & hinc generationes variæ prodeunt ex diversis tamen cœli spiritibus infixis, qui fixum cœli spiritum materiæ coævum diversis suis actionibus vincunt, & sibi vendicant, ejus communem naturam peculiarem, & propriam sibi ipsis faciendo: hinc generatur hoc & illud, vel aliud peculiare, & individuum secundum naturam specificam spiritus infixi cœlestis agentis in materiam in qua fieri debet generatio, & suscitantis spiritum internum materiæ ad alterationem illam peculiarem, quam tunc temporis excogitat in materia, alioqui si non darentur tales spiritus infixi cœlestes, qui internum illum fixum cœlestem spiritum materiæ coæ-

Cœlum in mixtis nũquam separatur nec moritur.

Materia unctuosa fixa ad generationẽ permutilis est sine cœlo.

Generationum diversitas unde.

coævum ad generationes peculiares, & diversas excitarent & propellerent; materia namque & spiritus suus internus, & infixus in diversas germinarent rerum species: eò quòd naturali & innata eorum forma se continerent, nec in alienas specierum diversarum formas & convolarent. Nam & si materia, & spiritus suus internus innatum habeant appetitum ad diversas formas, ille tamen appetitus excitatur, & in actum revocatus à spiritibus externis infixis volatilibus, qui à cœlo descendunt per astrorum influentias in materiam hanc prædictam, eàmque perturbant, & exagitant; donec à sua forma, quam de præsenti obtinet ejecerint: suamque quàm suis actionibus intendunt in eam ipsam materiam infuderint & radicitus implantarint. Quæ deinde forma tãdiu permanet in ipsa materia quãdiu spiritus, qui eam implantarunt vigent, & pollent in mixto, quod produxerunt; multum autem temporis durant ipsi spiritus, si in principio generationis copiosi fuerint, qui unà cum aliis spiritib. materiæ fixis coagulantur, & fixantur & convertuntur in fixos spiritus, qui humidum radicale cujuscunque rei constituunt, quod cum nihil aliud sit, quàm ex spiritibus elementaribus, & cœlestibus coadunata materia quædam unctuosa, quæ ex ipsorummet elementorum seminibus originem habet unà cum ipsis spiritibus non est intellectu admodũ difficile vitam longam, longumque esse cujuscunque individui dependere à spiritibus copiosis, & turgentibus primogenitis.

A spiritibus infixis cœlestibus excitatur materia ad generationes diversas.

Humidum radicale quid.

Vita longa unde dependeat.

Nec pariter cognitu, & intellectu erit arduum undenam sit, quòd mixta elementaria sequantur vires planetarum, & homini ipsi, aliisque viventibus omnibus planetę, stellæ, & totius cœli influxus dominentur per totum vitæ spatium: ita ut nî pru-

Ratio cur mixta sequantur cœli proprietates.

dentia sua, & libera agendi virtute qua pollet, & donatus est ipse homo à Deo ipso Creatore nostro, ab ipsa vendicetur agendi necessitate, cogatur sequi actiones sui temperamenti. Quæ cùm ex humido radicali suo ortum habeant, & ipsum nihil aliud sit, ut præmonuimus, quàm virtutes planetarũ, quæ in ipsius ortu, & principio productionis suæ id ipsũ humidum radicale constituerunt, & fecerunt: necessariò sequitur hominem, & reliqua vivẽtia subjici cœli virtutibus. Constat enim certissimè inter Philosophos omnes, & medicos, animam cujuscunque viventis sequi virtutes, & proprietates sui temperamenti, quo utitur, tanquam instrumento ad agendum. Nam cùm mutatur ipsum temperamentum, quod ab ipso humido radicali, & ab spiritibus fixis singulis partibus à primo ortu communicatis realiter dependere diximus, cùm mutatur inquam variis ætatum curriculis, mutantur etiam pari ratione aliquo modo animæ functiones, & usus, & si pereant omnino, & evanescant spiritus, ruit quoque ad interitum ipsa anima, & separatur à corpore, quod ejus vinculũ, quo intermedio corpori copulabatur deperditum sit, aut saltem ita extinctum & diminutum, ut ejus fotu anima retineri non possit. Galenus multis in locis tantam affinitatem agnoscit spirituum, & animæ, ut dubitet an sint de ipsius animæ substantia. Quapropter si humidum radicale animantium omnium, quinimò cæterarum rerum omnium sit ex influentiis cœlestibus, & puris elementorum spissitudinibus conflatum, non negandum erit hominem, cæteraque omnia sublunaria subjici viribus cœlestibus. Simile enim in simile potentissimum habet ingressum. Quod si aliquando prudentes effugiant illam astralem virtutem in his ipsis latitantem humido radicali

Galenus & Hippocrates locis ferè infinitis.

Temperamentũ innatum à quibus dependeat.

Animæ vinculum est spiritus fixus cujuscumque partis. Lib. de usu respir. 6. simpl. lib. de form. fœtus, & in lib. de causis sympt.

cali implantatam, hoc referri debet, ut dictum est liberæ, & supracœlesti agendi potentiæ, qua supernaturaliter donati sunt homines, quatenus sunt anima rationali præditi. Quæ cùm non dependeat origine sua à spissitudinibus elementorum, nec ab spiritibus cœlestibus, habet etiam aliquas ex se proprietates, & agendi facultates, quæ non dependent ex his substantiis, quibus tamen cùm utatur tanquam instrumentis ad agendum propter divinam, & supernaturalem unionem, quam divinitus cum illis contraxit, necesse est ut aliquid patiatur ab agentibus, quibus datum est in instrumentum suū agere posse: si vero harmoniæ motiones exuat ad optatam naturam revertitur vim propriam habens. Quamdiu autem permixta est anima harmoniæ sui corporis, tandiu etiam harmoniæ cœlestis viribus obsequitur. Corpus enim ab hac originem ducit.

Animam rationalē supranaturam habere actiones un e provenıat.

Hermes in Pymandro, sermone primo.

Hactenus de anima rationali dictum sit. Attamen ne colligat ex his Lector unionem hymicam fieri posse ex ea ipsa cum humido radicali suo in quod divinitus inducitur. Nam cum ex eo non educatur, ut superiùs in ipsomet capitulo asseruimus; in ipso etiam humido radicali detineri non potest, dum chymicè tractatur. Quale ergo erit arcanum animale ex sanguine humano, vel carne depromptum, si forma sua propria careat? Erit alimentum summū, quo uti poterit homo ad vitam verè vitalē diu vivendam. Nihil aliud potest alchymia, quàm ex animalium corporibus educere alimenta, & medicamenta quæ diu conservent, & foveant interna viventium alimenta, cujus solius ratione arcana dicuntur: Quod communibus alimentis toto cœlo differant, non secundum substantiam, sed secundum substātiæ proprietates, & virtutes peculiares,

Arcanum animale quale sit.

quæ quidem in arcanis potentissimæ sunt. In aliis verò diminutæ ex rationibus supra citatis. Quę adhuc dilucidius patefient Capite sequenti.

CAP. XXV.

De Unione Mineralium.

QUÆ diximus de unione vegetantium, & animantium satis luminis habent, ut omnibus fere qui opera hæc legent chymica sint adeò perfectæ, & absolutæ cognitionis, ut frustraneum quasi hoc videatur caput, ad unionem mineralium chymiæ alumnis patefaciendam. Attamen quia totus totius Alchymiæ cardo in hoc potissimum versatur vulgi opinione, ut auri, argentique mineræ, & fori penitus cognoscantur, opinatur enim vulgus, veritatis tamen pessimus interpres, auri argentique opus Alchymiæ tantum esse curæ, ut nihil præter aurum, argentum, cæteraque metalla, & alia mineralia tractare queat. Omnia tamen naturalia suas effugere nō possunt manus, nec suos eludere ignes quin quidquid habeant intus reconditum foras dent. Quamobrem propositum persequar, & more solito mineralium arcanum absolvam.

Alchymiæ cardo totius circa aurum faciendum & argentum non versatur.

Alchymiæ omnia subjacent.

Unio mineralium (quæ est principium perfectionis istius arcani) consistit in humido radicali mineralium puro, nitido, & ab omnibus extraneis separato: humidum radicale dum dico, intelligo duplex illud humidum, quo constant mineralia omnia: fixum unum in quo residet forma, & ex quo educitur; infixum, & volatile alterum in quo consistit fomes, pabulum, & alimentum alterius humidi fixi radicalis, quod cum habeat calorem sibi ingenitum, & connatum in dies depascitur ab ipso calore, & pedetentim & insensibili quodam casu ruit interna fame consumptum. Ideo, & reliquis

Unio mineralium in quo consistat.

In mineris tantū istud humidum volatile reperitur quandiu mineralia sunt.

quis totius naturæ rebus datur illud volatile humidum, ut conservationi eorum, & vitæ habeatur. Qua penitus unica ac sola ratione humidum istud volatile tanti est momenti in arcanis absolvendis omnibus, ut absque eo nihil penitus effici possit, illud est Mercurius Philosophorum, aqua viva, spiritus vitæ, fons perennis, & unda cum qua sola, & unica sulphur incombustibile philosophorum, aurum, Luna, & alia quidem diversi nominis; sed unicæ substantiæ prodesse possunt Chymicis. Legat, & perlegat quisquis voluerit toto vitæ suæ curriculo libros omnes Chymicorum omnium, nihil aliud inveniet, quàm humidum istud duplex fixum, & volatile circa quod unicum versatur totius artis spagyricæ cardo. Omnia siquidem miratu digna, quæ possunt patrari ex eo elici oportet. Inde est illa ter maximi chymicorum exclamatio. Sicut res omnes fuerunt ab uno, meditatione unius, sic res omnes, fuerunt ab hac una re, adaptatione. Hermes humidum radicale mundi intellexit; at quia istud haberi non potest, quod in ipso generationis suæ momento ilico sublimetur à calore centrali suo per omnigenos terræ poros, atque meatus, & in ipsa via fit alimentum cujuscumque rei, & mutatur illicò in ipsasmet res, quas alit, quia statim occupatur ab spiritibus rerum diversis, qui toto terrarum orbe vagantur. Ideò sufficit nobis, ut hinc arcana miranda patremus; humida peculiaria habeamus cujuscumque rei. Quod cùm sit tota natura ipsius rei non dubitandum est, quin illud polleat quod natura potest. Convertuntur enim, & idem sunt natura, & humidum radicale: non utor communi chymicorum vocabulo, mercurio vitæ scilicet, quod humidum radicale sit notius vocabulum ipso mercurij vitæ vocabulo. Vellem penitus ut omnes me caperent, saltem philoso-

Humidum radicale volatile quibus nominibus insigniatur.

Hermes in tabula smaragdina.

Humidum radicale mundi imperceptibile est quod statim in particularia permutetur.

Humidum radicale, & natura ipsius rei idem sunt.

phia digni, ne tenebris amplius Alchymia delitesceret; Quòd si sæpe sæpius interdum eamdem, & unicam materiam, hoc est humidum radicale, & mercurium vitæ diversis nominibus insignio: nunc enim spissitudinem elementorum dico, nunc naturam, nunc materiam primam, nunc spiritum fixum, & volatilem; id consultò factitatũ est, ut humidi radicalis essentiam penitus cognitam habeant philosophiæ chymicæ alumni; quòd in ipsa sola cognitione tota consistat Alchymia, ut infinitis ferè locis hujus operis asserui, ut tandem repetitis sæpe sæpius huiusce rei arcanis credant philosophi naturam integram cognosci posse cognito eius materiali fundamento. Itaque per humidum istud peculiare radicale, quod in centro mineralium conquiescit ad cognitionem perfectam, & absolutam chymicorum omnium devenire oportet, ut mineralium naturam cognoscere queant, eáque cognita quicquid ipsa natura potest in mineralibus, ipsi similiter possint, cum ea ipsa, quæ quidem mehercule tantum potest, quantum credi minimè possit. Nam quis hominum credere posset vaporem, ventum, spiritum adeò tenuem, & subtilem, ut visum etsi acutissimum fugiat, aurum, & adamantem adeò solidum, & firmum, ut reliqua omnia soliditate vincat, generare posse? Idem etiam, quod nos quærimus in centro mineralium eamdem redolet naturam: vapor, vẽtus, & spiritus est nî illa omnia vasis peroptimè concludimus nostris proculdubio periturũ est opus, quod ex eis originem ducere oportet. Non immeritò fumivendulos imprudens vulgus dictitat chymicos, ridentem dicere verum nil vetat: fumivenduli quidem sunt; at eorum fumos contemnere non licet. Sunt enim spiracula vitæ, & totius universi animæ. Quæ cũ sint alchool, & tenuissimum quidquid elemen-

Quare humidum radicale variis dicatur nominibus ab authore.

Natura absolutè potest cognosci.

Fumi chymicorum quales.

mentorum omnium, & astrorum est, fumo, vapori, vento, & spiritui non immeritò æquiparari posse non ibo inficias. Fumus etenim vapor, ventus, & spiritus subtilissima sunt omnium quæ in mixtis reperiri possunt. In his etiam latitat virtus illa entelechiæ, ut ita loquar (si fari ita permittatur chymico) totius mixti, quæ virtus cùm sit ex natali sua stirpe tenuis, & acutissima, elementorum crassitiem, & spurcitiem sequi non potest, nec his permisceri. Natura siquidem natura gaudet, & simile simili lætatur contubernio ideò fumos, ventos, vapores, & eiusmodi mixtorum resolutiones sequitur illa virtus. Quæ quidem quamvis crassis, solidis, & duris etiam reperiatur, non inde repugnantem sensum ex scriptorum meorum lectione colligere licet. Crassis enim sordidis, & duris, quibus inest virtus illa, tenuitatem, & sublimitatem chymicam inesse fatendum est, quòd pura, & homogenea tenuia, & subtilia dicamus. Crassum, verò durum, & sordidum id omne, quod ab elementorum, & cœli compagine differt; hoc est, quod ab eorum semine distat, & interno eius calore tanquam aliquid heterogeneum, non fovetur, sed foras amandatur; illud inquam omne dicimus crassum, & sordidum; illud verò tenue, & subtile, quod est ex natura, & essentia seminis elementorum, & cœli: etiam si solidum, & durum aliquando reperiatur aurum, adamas, carbunculas, & alia multa, ut luna, & aurum chymicum, quod est unctuosa mineralium substantia fixa. Quæ omnia, etsi solida sint, & dura. Attamen tenuitatis nomine, & subtilitatis acumine donari merentur, quod homogenea sint, & pura unicáque elementorum semina coagulata.

Quare virtus animæ insit fumis chymicorum.

Crassum durum & sordidum chymicis quid dicatur.

Tenue, & subtile quid chymicis dicatur.

Partes homogeneæ sunt puræ elementorum semina coagulata, & permixta.

Lapides autem alij multi eo nomine non dignantur,

tur, quòd eorum omnes partes homogeneæ non sint, sed hæ heterogeneis multis partibus commiſcean-tur, nec etiam ſæpe ſæpius ſupradicti integri reperiuntur homogenei, habent ſiquidem maculas internas plerumque, quæ eorum ſplendorem, & nitorem contaminant, & inficiunt, & virtutem etiam eorum internam diminuunt, quod forma eorum heterogeneis non gaudeat, imò ab ijs deſtruatur, eaque evaneſcente, & languente virtutem, & energiam evaneſcere, & languere neceſſe eſt. Quod ſi in puriſſimum terræ locum ſpiritus mineralis deferatur, ibique aquam mineralem puram, nitidam, & ab omni terrena ſpurcitie deterſam invenerit, eaque minerali aqua coërceatur, fiunt ambo lapides tales, quales ſpiritus formator internus appetit ſua intrinſeca differentia. Aqua enim mineralis ſuo centro coërcet, & continet aliquid unctuoſæ fixæ ſubſtantiæ, cujus ratione, & auxiliante illius vitali igniculo coagulatur, & aqua, ſeu humidum (quod unctuoſæ fixæ ſubſtantiæ partes diſſolutas continet) & ſpiritus qui colorem, & formam ſecum habet lapidis producturi, & ſic ambo, ſpiritus puta, & humidum aqueum ſupradictum, duritiem, & ſoliditatem tempore ducunt, & lapideſcunt, non eo modo, eáque productionis via, qua aſſerit Philoſophorum commune vulgus, quod Ariſtotelem naturæ genium inquit, ita docuiſſe ex concretione puta aqueæ ſubſtantiæ, nonnulliſque alijs elementorum reliquorum admixtis, & unitis partibus, frigore exprimente, quod ſuperfluum eſt humiditatis, aut calore evaporante illud ipſum humidum ſuperfluum, & congelante reliquum, quod ſupereſt elementorum in lapides diverſi generis ſecundum elementi puri, vel impuri prædominantis energiam. Quæ via, & methodus naturalis generationis lapidum omnium, etſi veri-

Maculæ in lapidibus virtutem obtūdunt.

Lapides puri quando generentur.

Lapides omnes quaſt ratione fiant à natura.

Ariſtoteles non optimè interpretatus de generatione lapidum.

veritatem occultam secũ habeat. Attamen ut communiter interpretantur Philosophi vulgares, erroris suspicionem habere meretur, quòd eorum interitus, & resolutio non respondeat ullo pacto præfatæ origini. In nostra verò via prorsus inter se conveniunt lapidum ortus, & eorum interitus. Hoc est, quæ in lapidum generatione, & ortu materialiter collocamus, eadem prorsus in eorum resolutione reperimus, & ex iisdem etiam substantiis, quas ex resolutione habuimus iterum de novo lapillos arte paramus, prioribus virtute, & substantia similes; sed multò lucidiores, & nitidiores, imò etiam efficacia, & virtute præstantiores, modò partes omnes naturales lapidum genus componentes ritè, & purè inter se uniantur, & servatis ponderibus permisceantur. Quod si aliquando, & sæpe sæpius à multis chymicæ artis sciolis lapides fiant, naturalibus quidem substantia similes, hoc est, quod habeant colorem, nitorem, soliditatem, & splendorem eumdem cum naturalibus lapidibus: attamen virtutem, & proprietatem eamdem; imò nec ullam habent, ratio in promptu est. Quòd hi lapides hac arte parati unicam tantum lapidum naturam substantialem, eámque excrementosam, & terrestrem habeant. Alias verò substantias, quæ formaliter lapidum omnium constituunt naturam, inscitia Chymicorum illorum evanescere necesse est, quod illas sæpissimè non cognoscant; inde dum præ manibus habent eas, ipsas custodire nequeunt: at excrementosam, & terrenam eorum substantiam (quæ præ copia semper in resolutione, oculis & tactui subijcitur) in vitrum ducere sciunt, quod lapidem prædicant, qui tamen nihil nisi vitrum est, colorem tamen, nitorem, & soliditatem secum retinens lapidis resoluti, quod & spiritus mineralis aliquid in excrementis illis terreis semper resti-

Lapides iterum de novo possũt generari ex iisdem partibus in quas resoluti fuerunt.

Lapides pretiosi cõmuniter qua ratione fiant à chymicis.

Smaragdus quamethodo fiat ex ferro vel cupro.

loratur. Sic ex ferro, vel cupro extrahitur terrena ſubſtantia excrementoſa ſummè viridis, quæ nihil ſpiritus cupri, vel ferri, vel unctuoſæ eorumdẽ ſubſtantiæ retinet. Quando verbi gratia ex his metallis arte Chymica lippis ferè, & tonſoribus notiſſima paratur vitriolum, ex quo deinde dum ſeparatur eius ſpiritus, ſeu oleum acidum, & ex eius deinde capite mortuo ſeparatur, ſolutione, & filtratione, ſal purum, & nitidum; illud omne quod non eſt de natura illius ſalis, aquis non reſolvitur; ſed manet inſolutum, fundúmque petit hypoſtaſis inſtar, viridéque ſummopere eſt, illud inquam ipſum eſt excrementum illud viride cupri, vel ferri, quod eſt terrena ſuperflua excrementoſa eorumdem ſubſtantia, de qua parari poſſunt Smaragdi pretioſiſſimi naturalibus propemodum ſimiles, modò id in vitrum violentiſſimo igne, & continuo ducatur; ſic ex plumbo poteſt ſeparari terrena ſua excrementitia ſubſtantia à ſpiritu plumbeo, & unctuoſa eiuſdem ſubſtantia purè vendicata, dum reſolvitur plumbum in ſua primaria elementa. Quæ quidem ſubſtantia in vitrum duci poteſt rubicundiſſimum rubini ſplendorem ſibi ſurripiens, & ſpeciem ferè naturalem; ſic ex luna, ſtannóque adamantem oriri poſſe non negandum eſt; ſi quis tamen alia acutiori utatur arte, & tria ſimul principia lapidum ritè conjungat, inveniet rem, lapide omni pretioſo pretioſiorem, vitrum omne in verum, naturalémque lapidem tranſmutabit: ídque etiam vitrum, vel lapidem quemvis ductibilem reddet, non ſecus, ac metallum. Ratio huius mirabilis effectus eſt, quòd humidum radicale unctuoſum lapidum omnium nulla ratione ſubſtantialiter differat, ab humido unctuoſo metallorum, quod ſi copioſum ſit, & à ſicco terreſtri, quod eſt excrementum terrenum

Rubinus ex plumbo quomodo fieri poſsit.

Adamas ex argento, vel ſtanno qua ratione fieri poßit.

Vitrũ qua ratione malleabile fiat.

Lullius lib. de tranſmutatione, & aliis locis.

num ſuperfluum affabrè vendicetur, ilicò unctile reddit corpus cui ineſt, inde dum infunditur projectione in corpus lapideum, vel vitreum aliquod, connectit ſe cum unctuoſo alio ſibi ſimili, quod repetit in vitro, vel alio corpore lapideo, ilicóque permiſcetur cum alio ſicco terreſtri prædominanti, ſuáque vitroſa humiditate, & glutine partes illas ſiccas, & friabiles inter ſe nexu adeò firmo compingit, ut ſejungi nequeant. Hinc dum malleis contunditur, ducitur potiùs, vel in longum, vel in latum, quàm in partes diſſiliat ſeparatas. Arcanum iſtud prima fronte arduum & difficile credi poſſet, verumtamen in rei veritate nihil in ſe continet miraculi, modo humidum iſtud unctuoſum mineralium habeamus purum putum ab omni ſorde excrementorum abſterſum, quod calcinatione, & aquæ puræ, & limpidæ ſtillatione, ſolutione, tibi comparare poteris, nulla prorſus difficultate, niſi laboris ſummi aſſiduitate, & longo temporis intervallo: repeterem methodum extrahendi illud humidum unctuoſum lapidum omnium, ſeu mineralium, & metallorum, niſi capitulis antea præſcriptis fusè dixiſſem, eámque patefeciſſem. Nam locuti ſumus de mercurio Philoſophorum, & humido radicali rerum omnium, tum in communi, tum in particulari. Illud ipſum humidum radicale lapidum clariùs, quàm dici poteſt Chymicis omnibus, & Philoſophis Hermeticis oſtendi, digitóque monſtravi. Vnum eſt in tota rerum natura, in quo, ex quo, & circa quod fiant generationes omnes, & permutationes, & alterationes. Quod humidum radicale mundi, & mercurius mundi dici poteſt, quodque dividitur in tria genera ſecundum triplicem differentiam ſpecificorum ſpirituum (qui illud informant) energiam, & virtutem qua-

Vnctuoſum humidum radicale ductiles facit lapides.

Arcanum ductile faciendi vitrum facile eſt admodum.

Illud ipſum humidum radicale eſt arcanũ præfatum.

Omnia ab uno materialiter dependent.

quatuor elementorũ,huiuſce univerſæ machinæ columnarũ virtutes continentem: illa genera in quæ tripartitur illud humidum, vulgaria ſunt ſatis, puta genus animale, plantale, & minerale, quæ tria genera etſi generaliſſima ſint, & inde penitus inter ſe diſtincta, & differentia; unicum tamen, & idẽ habent ſui ortus fundamentum. Quòd ſi illud ipſum fundamentũ in mineralibus actum vitæ producere non poſſit, non inde meretur negari ineſſe pariter, & mineralibus omnibus idem, & ſimile in ſubſtantia; at illud ipſum humidum, quod ineſt animalibus & plantis. Ratio in promptu eſt, quod actus vitæ nunquam educatur ex mercurio mundi, ſeu humido radicali, niſi ignis purum, aut aëris, cæteris elementorum puris præpolleant. Vita enim in præpollente puro aquæ, vel terræ conſiſtere non poteſt; quod motus incapacia ſint illa elementorũ ſemina. Motus autem vitæ nervis omni ex parte cenſeri meretur. Quod ſi cœli moveantur, & non vivant, & igneam, æthereámque puritatem in ſe coërceant, ut vitalem illum actum habere per nos ipſos mereantur. Reſpondemus motum cœli non eſſe ex intrinſeco, hoc eſt prædominantibus igneis, & æthereis puritatibus; ſed ex extrinſeco, hoc eſt vel ab Angelis, quam ſententiam non improbamus, vel ab ſpiritibus volatilibus humidi, radicalis mundi, qui ſuo innato, & naturali motu omnia ſecum cõmovent: quam opinionem tamquam conjecturalem damus; ſi enim omnia elementa commovent: quidni cœlum etiam movebunt? hinc cùm motus forinſecus fiat, non inde colligere Zoilus poteſt cœlum vivere ex noſtra ſententia, nec etiam ex eorum materiali ſubſtantia, quam etſi igneam, & ætheream in nonnullis cœlis, hoc eſt partibus cœleſtibus fecerimus; non tamen omnibus elementorum puritatibus præcellentes colloca-

Illud unum in tria divid tur genera.

Vita in quibus elemẽtorum puritatibus conſiſtat.

Motus in vita neceſſarius.

Cœli motus unde.

locavimus, sed semper æquipollentibus terreis, & aqueis puritatibus compegimus, easque omnes fixas asseruimus; qua sola ratione argumentum Zoili eludere putamus. Habent ergo omnia creata unicam, & eamdem materiam; si tamen sint aliqua quæ actum vitæ habent, alia verò nullum. Ratio ex antea dictis est colligenda, eaque mordicus asserenda. Mineralia siquidem circa quorum naturam tota controversia versari potest in animalia, & plantas permutari possunt; dum animalia, & plantæ ea ipsa mineralia, vel ut clariùs loquar, centrum mineralium, hoc est sal fixum, & purum & dulce mineralium accipiunt, vel assumunt in alimentum. Quod fieri non posset, nisi illud minerale centrum materiale haberet vitæ fundamentum, ex quo levissima alteratione adhibita à spiritalibus animalium, vel plantarum, educeretur actus perfectè vitalis, adaucta ignea, vel ætherea centri nostri substantia, & multiplicata ad sufficientem vitæ gradum spiritibus vitalibus, volatilibus externis, qui materiæ nostræ plantis, vel animalibus infusæ adveniunt & accurrunt, ut suis qualitatibus prægnantem constituant, & tandem mutetur in animal, vel in plantam, cui infusa fuerit hæc materia; sic lapis Philosophorum, & arcana omnia Chymicorum Hermeticorũ, dum animalibus, vel plantis in alimentum communicantur, illicò animalia, & plantas vivificant, à morbis liberant cunctis, quod vitali turgeant nectare, hoc est substantia in qua sola vita radicari potest, modò levissimo vitali spiritu fœcundetur. Vnctuosa quippe rerum substantia est unica vitæ radix, quæ in lapidibus metallis, mediisque alijs mineralibus copiosissima est. Inepta tamen ex sua originali macula ad vitam sustentandam, & labentem refocillandam, quòd multis terreis excrementis implicentur,

Materia cœli quibus elementorũ partibus constet.

Mineralia in plantas & animalia qua ratione permutari possint.

Lapis philosophorũ, & arcana chymicorum alimẽti summam vim habent.

Vita in sola unctuosa substantia radicatur.

Excrementa quæ ipsis sunt mixta, obtundunt vitæ substantiam, ne habeat suas proprias vires.

tur, quæ quamdiu ad sunt; tamdiu etiam vitæ igniculum ipsis intricatum mortuum ferè, aut saltem admodum languidum conservant. Vt verò ab ipsis excrementis unctuosam illam substantiam vitæ radicem penitus emunctam habeamus, idipsum sæpe sæpius in capitulis antea præscriptis demonstravimus; ita ut si Lectori non sufficiant, quæ dicta sunt, ut percipiat veram humidi ipsius radicalis præparationem, in præsentiarum nihil aliud Lectori dare possum, quàm ut mineralia omnia cujuscumq; sint generis calcinationibus multoties reiteratis committat vasis chymicis stillatorijs prius imposita, ut una, eadémq; operatione, & spiritus volatilis mineralis eliciatur, & spiritus fixus, qui est humidum radicale fixum, seu materia unctuosa metallica, seu mineralis, dum privatur volatili suo spiritu vendicetur pariter ab excrementis omnibus, quæ naturali, & originali sui ipsius essentiæ repugnant tanquam heterogenea. Sic sola distillatione, quæ in retortis luto munitis percommodè celebratur, & aquam nostrã chymicam, & aurum nostrum obtinebit, de quibus puris & nitidis, unionem primam facere poterit, ut ex illa conjunctione aurum sublimare possit, ex quo deinde sublimato, septena sublimatione, unionem secundam & ultimam cum sua aqua septena etiam distillatione, ab heterogeneis suis partibus detersã celebrare non dubitabit, ut tandem Vulcano soli, & tempori totum perficiendum coagulatione committat arcanum, de qua jam sola operatione ut absolutum habeatur opus superest dicendum.

Methodus brevis, qua unctuosa mine alium substantia fixa, & volatilis purissim extrahuntur ab ipsis mineralibus.

Aurum chymicum & aqua chymica unica operationis haberi possũt.

CAPVT

CAP. XXVI.

De Coagulatione seu Fixione in Communi.

CHYMICULORUM permulti differentiam maximā interesse contendunt inter coagulationem & fixionem. Fixa siquidem asserunt, quæ humidū radicale adeò permanens habent, ut nullis agentium viribus, & impetibus, in alienam permutari nequeat substantiam: coagulata verò ea ipsa quæ humidum secum continent labile admodum, ut mediocribus cedat agentium pugnis: eáq; philosophandi ratione. Aurum, vitrum, sales aliqui, & lapides nonnulli fixorum nomine donantur. Reliqua verò, ut plumbū, argentū, ferrum, cuprum, stannum, & argentum vivum, arborum omnium ligna, & plantarum folia, & succi, & mineralia permulta coagulatorum nomine dignantur. At quicquid sit, non moror eorum omnium circa horum nominum etymologiam querelas: Alchymiæ grammaticam miscere nolo, quod virum quærat Alchymia Philosophum prudentem & ingeniosum, & non grammaticum, qui vocabulorum scrinia non rerum quæritet. Itaque his missis hæc vocabula confundam, & unà simul conjungam fixationem & coagulationem, præsertim in hisce ultimis capitulis particularibus, in quibus, dum humidum radicale fixum & volatile conjuncta sunt, & fixum omnino volatile factum, antequam volatile iterum fixum fiat, priùs coagulari oportet, antequam ad perfectam & absolutam coagulationem, quam & alij fixationem dictitant deveniat. Et sic fixatio & coagulatio si multis ita placeant, separatæ operationes, in vasis nostris, in rei substantia ipsa conjunctæ, & in tempore separatæ repetientur: ut

Fixa quæ dicantur.

Coagulata quæ dicantur.

Fixatio & coagulatio parum inter se differunt nisi secundum magis & minus.

videre licet ex ipsius operationis definitione seu descriptione. Etenim coagulationem seu fixionem dicere possumus: humidi radicalis puri volatilis, in permanentem substantiam radicalem unctuosam permutationem; quæ quidem permutatio adeò subitò fieri non potest, quin quod est omnino volatile, antequam perfectissimè & absolutè figatur, transeat per mediocrem fixionem, quam nihil interest, coagulationem dictitare: Itaque different tantùm secũdum magis, & minus, coagulatio & fixio; quæ quidem operationes postquam unam definierimus, jam demonstrandum superest, qua ratione & occulta naturæ virtute fieri queat illa unica operatio quæ duas ratione temporis constituere potest. Nihil itaque fixari, coagulari, aut congelari potest, quin humidi portiunculas in se coërceat. Sonant enim hæc vocabula communiter mollis indurationem, & humoris occultationem. Ita ut in omnibus chymicis arcanis humidum reperiri actu necesse sit, antequam ad ultimam perfectionem devenire contingat: quamvis enim in fine omnia cinis & pulvis sint, in principio tamen aquam omnia fuisse oportet: ob id dixere sapientes: Visi corpora vertatis in non corpora, & incorporea faciatis corporea, nondum operis huius invenistis principium. Capitulis antea præscriptis docuimus, qua methodo omnia aquam fieri oporteret, ut hac mutatione excrementa omnia huius nostræ substantiæ, cum in aquam mutari non possint nostram, separata reperiantur. Iam verò capitulis sequentibus demonstrandum venit, qua methodo hæc aqua corpus fieri queat. Doctum est anteà, multisque rationum momentis in animis Chymicorum inculcatum in centro cujuscumque rei latitare substantiam incorruptibilem omni ex parte, hoc est, nec igne, nec aqua, nec aëre, nec terra, nec

Fixatio quid.

Fixatio & coagulatio humorem præsupponunt.

In principio arcanorum chymicorum omnia aqua, in fine verò pulvis.

Qua ratione aqua chymicorum corpus fiat.

Substantia cẽtri cuius-

ra, nec mixtis & compositis agentiúmque quorumcumque virtutibus adeò mutari facilem, quin semper secum coërceat, virtutem & energiam mixti, ex quo extracta est: hæc inquam substantia, postquam vindicata fuerit à substantijs alijs, quæ non sunt suæ naturæ & essentiæ, fixa admodum & permanens, si aqueis substantijs æthereis & igneis volatilibus suammetipsam naturam, & essentiam redolentibus permisceatur, aqua tandem fit, & in æthercam igneámque volatilem substantiam permutatur, afictione prædominantis illius aqueæ substantiæ sui similis, quia tamen naturali suomet instinctu ad siccitatem quandam, seu permanentiá quam & chymici philosophi fixationem dicunt defertur: inde est quòd coctione continua levi, & moderata fixa illa substantia & permanens, centrum cujuscumq; mixti in quo radicantur formæ, & virtutes omnes, pedetentim vincit omnem prædominantem suam humiditatem, quæ ipsam aquam fecerat, sicque humidum suum ligat & congelat, adaucta & multiplicata sua naturali siccitate, externo igniculi continui fotu, ut celeri motu, perveniat ad optatum naturæ suæ finem, quem omnino exoptat, tanquam sui ipsius ultimam perfectionem: ad quam cum absque artis adminiculo devenire nequeat, non ideò arguendum est impossibilem fore. Videtur siquidem ad quandam nullo artis adminiculo fixationem pervenire in qua quiescit, & gaudet ut in lapidibus & metallis perfectis, & tamen rite ad aliam perfectionem fixationem multò priori illa naturali fixatione, conduci posse, ut patet dum ex calcinatis & incineratis metallis, seu lapidibus, sal extrahitur, qui deinde operationibus multis, & multo labore & industria purus & nitidus factus, ad fixationem conducitur, priori multò perfectionem: illa enim fixatio levissimis

cumque mixti est inalterabilis.

Spiritus volatilis fixæ substantiæ, fixam substantiam volatilem reddit.

Fixa substantia etsi soluta fit cur iterum figatur.

Humidum radicale naturaliter tendit ad fixationem.

mis agentium impetibus & conatibus devincitur & ſolvitur in diverſam oculis tantum ſubſtantiam. Hæc verò nullis commovetur actionibus, ſed incommotus aqua, incommotus igne lapis exiſtit, & ſemper ſui ſimilis, niſi alienis permiſceatur ſubſtantijs, quas perficit virtute, & communicatione ſuæ perfectionis: quæ cùm ultima ſit, & abſoluta facilè communicabitur. Quæ enim ad ſummum perfectionis conducta ſunt, facili negotio cætera omnia, quæ naturali ſponte id exoptant ſola ſuæ ſubſtantiæ admixtione perficiunt, magis quàm ſi privata ſint tali perfectæ ſubſtantiæ admixtione. Ratio in promptu eſt, quòd ea quæ ſimili conditione perfecta ſunt, plus perfectionis in ſe coërceant quàm indigeant ad ſui conſervationem. Hinc etſi communicent perfectionem quandam ſui ipſius, non ideò deſtruuntur, & pereunt ipſa, quamvis diminuant ſuam perfectionem Superſtes adhuc perfectio ſufficit ad mixti naturam perfectam conſtituendam, ut claret in projectione pulveris chymici ſuper metalla imperfecta, & alia multa, quæ perfectionem naturalem, ad quam naturaliter devota erant, leviſſima illius pulveris admixtione adipiſcuntur: etſi enim pulvis ille ad ſummum perfectionis conductus, in hac permixtione permutetur oculitus; nihilominus tamen centrum ſuæ ſubſtantiæ, non mutatur, ſed quoſdam gradus perfectionis amittit, hinc fit metallum perfectum, quod tamen antea viſu, & alijs externis ſenſibus tale non apparebat, etſi centrum ſui ipſius metallicum humidum radicale fuiſſet, & aurum verum ad illam perfectionem arte devectum.

Perfectio ad ſummum conducta, communicabilis eſt.

Tantum eſt perfectionis in rerum fixatione de qua loquimur, ut ſymbolum futuræ vitæ complecti exiſtimarint permulti Chymicorum: inde reſurrectionem

Fixatio eſt ſymbolum reſurrectionis.

nem vocitarunt multis in locis, ut facultatem perfectiorem multò inesse in his, quæ chymicam fixationem passa sunt, quàm in his quæ naturalem. Quemadmodum enim in prima rerum omniũ generatione, omnia corruptioni obnoxia reperiuntur, lapides, plantæ, bruta, & ipse homo, firmam & ratam hanc naturæ legem subire coguntur, quòd infirmam & labilem habeant humidi radicalis coagulationem: Sic in secunda rerum generatione, ut ita loquar, in qua nihil nisi simplices substantiæ, & primæ elementorum radices, in corporibus humanis reperientur, nullus erit corruptelæ locus, ob firmam & stabilem, perennémque humidi radicalis coagulationem, quæ à summo chymicorum omnium, & primo, Deo nempe, humanis omnibus beatis corporibus purgatis & sepositis (non secus ac factitant Chymici) omnibus tũ animi tum corporis maculis celebrabitur. Qua de causa cùm hæc prædicta, similitudinem quam maximã inter se habeant, non erubuerunt antiqui Chymicorum, dum hieroglyphicis coagulationem chymicam depingere voluerunt, resurgentem ac triumphantem hominem lumine ac splendore undiquaque renitentem effingere, hæc siquidem inter se affabrè consonant. Et quisquis chymicam coagulationem oculis ipsis viderit, eiúsque mirabilem ortum contemplatus fuerit, stupendámque ejus energiam & δύναμιν expertus fuerit, absque fidei Romanæ ulla querela, diffidio ac difficultate penitus resurrectionem, beatámque adventantis sæculi vitam, futuram fore credet, híncque Deum qui cuncta gubernet, lumine quasi naturali admittere cogetur, & reliqua cuncta quæ fidei orthodoxæ Romanæ non repugnant, fateri non denegabit. Quis siquidem hominum rationis compos inveniri posset, qui dum mixtum aliquod ex cineri-

Ex fixatione arcanorum chymicorum futura vita, & Deus ipse declarantur.

bus ipſiſmet ſuis renaſci comperit, prædicta non fateatur? Reviviſcunt enim mixta omnia, quæ chymicam noſtram fixationem patiuntur, ſenectã deponunt & primi ortus, ſeu naturalis originis exuvias, ita ut eorum mors, ſi ita loqui fas ſit, generatio nova potiùs dici mereatur, quàm eorum ipſorũ perſiſtendæ facultatis ultima extinctio. Nullũ enim mixtorum moritur, ſi mori, annihilari aut ſaltẽ extingui interpretetur. Manent ſiquidem integra mixta, quæ ſubeunt chymicas operationes, quamvis leves alterationes & corruptiones accidentium quorumdam patiantur, non ſecus ac granum tritici, ac alia ejuſmodi, quæ terræ mandantur, ut germinent, ibíque putreſcant & moriantur, neceſſe eſt, ut vivant: Semina, etſi indita terræ putreſcant, eorum tamen radicalis ſubſtantia nullo pacto patitur in centro ſui ipſius, niſi quòd accidentia quædam illi peculiaria, & propria commutantur, quæ illius germinationem & pullulationem retardabant, imò prorſus impediebant, neque adhuc ſolum humidum illud, radicale ſubſtantiale, dum putreſcunt ſemina ad germinandum, ullam patitur ſuæ ſubſtantiæ corruptionem & noxam. Quin imò & formam peculiarem & propriam quam intus in centro ſui ipſius fovet & conſervat, adhuc immotam retinet & illæſam, alioquin enim granum tritici, aliáque rerum ſemina dum putreſcunt, ut germinent, nullam haberent producendi ſui ſimilia facultatem, & energiam. Illa ſiquidem facultas, ut & aliæ omnes ab ipſa illæſa forma dependent. Etſi enim veritas ipſa Chriſtus dixerit, niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, non germinabit, hoc de abſoluta morte, hoc eſt de corruptione integra partiũ omnium ſubſtantialium humidi nempè radicalis, & formæ, nunquam intellexit, ſed ſola corruptione acci-

Mixtum quaratione non moriatur.

Seneca in Epiſt.

Humidum radicale in centro ſuo non patitur ullam corruptionem, in generatione productiua.

Ariſtoteles multis in locis.

Facultas generativa a forma dependet.

accidentium terrestrium, quæ potiùs excrementa sunt, & naturæ impedimenta & onera gravia ipsius formæ, quàm aliquid quod conferat ad ipsius perfectionem: ita ut in ipsa corruptione & morte quã patiuntur mixta quæque, ut generent sui similia, humidum radicale tantum & forma ipsius, cum innatis & ingenitis suis qualitatibus vindicentur ab excrementis terreis, aqueis, aëreis & igneis, quibus eorum purum conspurcatur, horumque excrementorum spoliatio, mors dici potest, quòd eâ mixtum tale integrum permutetur, & in diversam numero substantiam transeat, illæsis tamen substantiis in specie, quæ substantiæ virtutem & energiam germinandi & pullulandi solæ conservant, quòd acuta rationis lance trutinatum, non multum facessit negotium Christianis Philosophis, & præsertim Chymicis, ut hinc desumant, resurrectionem humanorum corporum certissimè expectandam esse, ut jamjam dixi, quod in centro cujuscunque mixti, latitet substantia quædam incorruptibilis, quę speciem suam illæsam conservet. Divinam tamen & supernaturalem esse credimus resurrectionem: hęc autem dicimus, ut quorundam Philosophorum etsi Christianorum labilem fidem conjecturis quibusdam naturalibus refocillemus, ut dum naturalia discimus, supernaturalia & Deum ipsum tandẽ cognoscamus, in quantum potest animi humani imbecillitas. Ab operibus artifex quodammodo dignoscitur propter relationem quam inter se habent, cujus relationis ope & auxilio, si relatum unum aliquo modo cognoscatur, cognoscatur & aliud necesse est, ut postulat relatorum naturalium proprietates, etsi inter Deum & creaturas nulla detur relatio propriè dicta, sed valde impropria: cujus ratione si in rebus naturalibus creatis, substantiæ

Excrementa impedimenta naturæ.

Excrementorum spoliatio mors est.

In centro mixti latitat substãtia incorruptibilis Deum esse demonstrans.

reperiantur incorruptibiles, & immortales etiam præter animam rationalem & Angelos, & cœlum. Quis enim erit adeò mentis inops, quia Authorem & conſervatorem harum ſubſtantiarum Deum eſſe immortalem incorruptibilem & æternum palàm prædicet, omnibus tanquam quid notiſſimum? Etſi perfecte & abſolutè ejus eſſentia & natura dignoſci nequeat, ab humano intellectu, nec ab alia intelligendi potentia, niſi divino favore, & ſacro pneumate perfundatur. Quod cum nihil aliud ſit quàm Deus ipſe, Deus eo modo, Deum cognoſcet, in humano intellectu, aut Angelico: non quod intellectus ex ejus natura peculiari, & propria absque adminiculo alterius naturæ perfectioris, eo ipſo, in eam devenire queat infinitam notitiam. Definitum infinitum complecti nequit: ſi tamen infinitum ex definito cognoſcamus, non admitto notitiam illam abſolutam eſſe & perfectam, ſed valde imperfectam & diminutam. Verumtamen notitiam ſemper eſſe aſſeram ignorationi collatam cõtumaci, & aſſerenti, Deum fore, ex creatis probari non poſſe; ſcibile modo admittatur notius & perfectius, ea ſola ratione, jam cognoſcitur, quàm ſi abſolutè negetur: quæ negantur tanquam non eſſe admittuntur, & de his quæ non ſunt, nulla datur ſcientia.

Deus ab humano intellectu nec ab alio poteſt abſolutè cognoſci.

Deus qua ratione poſsit cognoſci.

Notitia Dei quæ ex creatis habetur non abſoluta eſt ſed valde diminuta.

Alchymiæ præſtantia quod Deũ demonſtret eſſe operibus ſuis.

Adverte quæſo Amice Lector quantum valeat Alchymia, ſaluti hominum ſuper alias ſcientias, ſi Deum totius naturæ Authorem & conſervatorem hominibus viſibilem ferè, & ſenſibus perceptibilem demonſtrare queat: hinc antiquitus inter fœlitatis & veræ ſapientiæ ſymbolum haberi facile crediderim ſui ipſius notitiam: quòd ex ea Deus in quo ſummum bonum collocare neceſſe eſt, cognoſci queat. Apollo Delphicus etſi Cacodæmon & veri

& veri Dei juratus hostis, ut veram divinitatem sibi esse, hominibus illius sæculi inculcaret, templi sui valuis affigi & literis aureis depingi jussit, γνῶθι σεαυτόν, cœloque delabi non incongruè excogitavit, tanquam notitia & conscientia, cæteris omnibus perfectior & sola & unica hominibus cœlo delapsa, cujus comitatu iterum homines cœlos petent, unde egressi sunt, modò id omne quod potest percipi, & disci ex ipsa scientia, & sui ipsius cognitione, per quàm optimè observetur, & religiose custodiatur: & ut fateri cogeretur homo, seipsum noscens, Deum fore, cùm quandam divinitatem sibi innatam fore hac inquisitione inveniret: quæ divinitas cùm ortum & originem haberet, hinc statim colligeret homo, aliam esse oportere divinitatem æternam omni ex parte, à qua dependeret hæc humana divinitas: & ex simili & eadem meditatione verum Deum prædicaret, homo, illum ipsum dæmonem, qui in tali templo, & aliis ejusmodi, tantæ sapientiæ responsa dabat quod aliquãdiu per multa sæcula, ob humanum lapsum verus Deus permisit, & passus est, donec tandem humanæ fragilitatis misertus est, ipseque verus & unicus Deus, ab omnium similium errorum illuvie omnes homines eripuit & eduxit, luce sua vera, & propria, & capaci, ad illuminandum omnem hominem. Quòd si hæc sola corporea humana divinitas, quæ latitat in corporibus humanis, ex elementorum semine exsurgens, Deum testatur, propter umbram quandam æternitatis, & persistendi actũ, quem secum retinet, etsi varias patiatur corporis sui alterationes, & extrinsecas corruptiones; etenim etsi comburatur hominis corpus, in cineribus suis aliquid adhuc superest, quod humanum redolet; quod sufficit Creatori, ut hinc verum iterum homi-

Notitia sui ipsius Deum fore testatur.

Humana divinitas, cum originẽ habeat, aliam dari divinitatem sine ulla origine indicat.

Substantia datur incorruptibilis in corporibus humanis.

hominem & eundem numero cum alia parte, anima nempe rationali, compingat: Resurrectio enim nulla ex parte, creatio erit, vel generatio: hinc si non creetur novum, aut generetur corpus humanum, aboleri omnino, & destrui, quamvis exteriùs corrumpatur, non necesse est, sed intactum & illæsum aliquid semper superesse, quòd unitum & conjunctum alteri parti, humanæ naturæ, divinæ prorsus & immortali, corpus humanum, hoc est hominem absolutum constituat: Quòd si inquam illud elementale humanum, oculis vulgi, & sensibus corruptibile & mortale, adhuc habeat immortalitatẽ quandã, & Deum ea ratione indicet, quid & quantum commonstrare potest, altera pars humanitatis, quæ nullo pacto ex seminibus elementorum est, sed prorsus ex Deo & divinitus unita, & conjuncta ad tempus aliquod, huic alteri parti, corporeæ, elementali, ut simul hominem constituant, qui hisce seminariis æternitatis constitutus, quæ molitur & agit, æternitatis semen semper sapiunt & redolent, quamvis in hoc alterabili, propter peccatum corporeo ergastulo coerceatur? Quicquid enim Deus ipse perfectè & absolutè quærit & amat, ipsemet homo improbo quodam labore, & pervigili industria & studio incredibili adipisci, & possidere conatur, gaudetque adeptis: Deus supremum bonitatis ipsius culmen est, in eoque quiescit: homo nihil nisi bonum expetit, & si malum aliquando expostulet, id non ratione mali, sed specie boni, efflagitat & amat; ita ut quicquid hominem allicere, & irretitum coërcere potest, aut bonum esse, natura sua, aut saltem speciem boni habere necesse sit. Deus est suprema sapientia, homo sapientiæ tantùm favet, ut malit vitam cum morte commutare, quam in stultitiæ scopulos, & imprudentiæ

Resurrectio nec est creatio, nec generatio.

Anima rationalis testatur Deum esse.

Homo quatenus divinitatem æmulatur, divinus esse inde colligitur.

Malum homo non quærit nisi sub specie boni.

tiæ

tiæ offendere. Quòd si aliquando ex fragilitate sua in eos impingat, dolet & queritur, quod offenderit, id quod summis viribus effugere tētat: nemo mortalium demens haberi & stultus expostulat, sed mirum in modum prudentiam quærit, & efflagitat, tanquam ultimam naturæ suæ scopum & finem, cujus gratia nascitur, Deus est suprema virtus & energia, & unicus omnipotens: deperit homo regnandi & imperandi cupidine, & qui inter homines regnandi & imperandi scientia pollent & valent, inter eos heroes & dii habentur: Deus est suprema veritas, humanus intellectus verum solum quærit, reliquum contemnit, & respuit, si tandem aliquando falsum foveat, id nomine veri & pallio contegit, quod ita indutum falsum non distinguat. Nemo mortalium adeò infœlici astrorum aspectu natus reperiri potest, quin scientiam quærat, quæ sola in veritate consistit, quin doleat errandi & ignorandi inevitabilibus scopulis, Deus ubique est, & Jovis omnia plena sunt; ut omnia Deus coercet, homo ubique esse cupit, & ubi corpore adesse nequit, spiritu omnia secum coercere tentat intelligendi & concipiendi sua facultate. Deus est omniū author, gaudetque omnia agendi potentia & virtute: homo nihilo magis deperit, quàm producendi energia, nihilque magis miratur, & amat, quàm natos suos, & quicquid aliud ex illo oriri potest, sive sit magnum quid, sive infirmum, id omne quodcunque est tanquam suum, & producendi illius facultatis symbolum fovet, & diligit. Deus est immortalis & immutabilis, semper permanens: homo nihil magis quàm mortem fugit, ad immortalitatē omnibus tendit conatibus, tum longævæ productione vitæ suæ, tum natorum & filiorum suorum generatione, & cùm hæc omnia, immortalitati expostu-

Homo stultitiam fugit.

Verū quærit homo, & falsum sub specie veri fovet.

Homo gaudet operibus suis.

Homo mortem fugit.

postulatæ non respondere queant, famam sibi quęrit, & gloriam, laudemque inter homines, quarum ope & adminiculo, in ore viventium, vivat in æternum.

Homo etsi virtutes nō exerceat, attamen in aliis laudat.

Deus justitiam in omnibus rebus exactè exercet: homo justitiam discit, & notam diligit, tanquam præcipuam & unicam vitæ suæ columnam, & qui vitiorum nebulis obcæcati eam negligunt, & contemnunt, eam tamen ipsam in aliis mirantur, & laudant. Est Deo certus & non mutabilis agendi modus, & certi denique fines: homini non dispari ferè methodo, inest inextinguibilis rerum suarum satagendarum modus, persistit in eadem re peragenda, donec optatum viderit finem, nulla rerum suarum quas peragendas suscipit commotus difficultate, & nullo labore, etsi maximo vincitur & retardatur, quin tandem aut secundis, aut adversis fortunæ rebus finem quendam consequi valeat: Deus solus, vitam, ut ita dicam, si dici possit, verè vitalem, faustam, fœlicem, ab omni diro fortunæ telo liberam agit: deliciæ autem secundæque fortunæ hominibus sunt suprema desideria: Deus seipsum contemplatur & noscit, homo totus incumbit notitiæ sui ipsius, & miratur suam naturam, eamque miratam omni studio, mirabiliorem facere conatur, tum virtute, tum scientia profunda, & paucis obvia, adepta, cæteris omnibus animantibus se præcellere, incredibili desiderio, patefacere nititur, hinc quicquid pulchri & rari, & supra reliqua animantia, notatu dignum habet, tum verbis, tum ornatu, & pompa qualibet demonstrare studet. Quicquid tandem est, aut excogitari potest maximi, & supra naturam, quod in summo rerum omnium Creatore cernere licet, ad id ipsum summis viribus, & conatibus tendit; & cupidis inhiat votis

Homo ad aliquem finē semper tendit in rebus suis.

Homo naturali instinctu fertur ad cognitionem sui ipsius.

Homo quicquid rari habet ostēdere studet.

Deū æmulari in omnibus homo conatur.

votis homo. Quod modò prudenti animo, diligentissimè quis pensitet, reperiet necessariò, hominem divinitatis supremæ symbolum præ se ferre, & simiam esse Dei, & ex consequenti, Deum rerum omnium summum bonum dari debere, in rerum natura Creatorem omnium rerum & conservatorem, qui characterem divinitatis suæ quendam creatis omnibus suis incidit, ut tandem opera ipsa sua, ipsummet testarentur authorem. Hæc Chymici Philosophi mente priùs excogitarunt, & deinde experientia ipsamet invenerunt. Nam fixum illud, quod in omnibus rebus reperitur, divinitatis supremæ characterem inustum continet, ideoque superiùs nos ipsi divinum quid nominavimus, divinitatisque nomine insignivimus; non quòd Deus illud sit, sed quod in ea potissimum materia Dei inlucescat benignitas, & potentia; cum illa materia, purum naturæ sit, gaudetque Deus solo puro creaturarum suarum, ut ipsemet ipsamet est puritas. Quod omne capitulis subsequentibus clariùs adhuc puro naturæ particulariter demonstrato manifestum dabitur omnibus.

Deum dari colligitur ex homine.

Fixum cur divinum diximus.

Deus solo puro gaudet.

CAP. XXVII.

De Coagulatione Vegetantium.

Vegetantia unde originem habeant.

VEgetantia ortu primo suo nata sunt ex semine elementorum puro, in quod particularem vegetantium spiritum quendam specificum Deus indidit, cujus deinde spiritus ope & auxilio, similia producerentur vegetantia, quamdiu spiritus ille integer substantiæ, & viribus suis, in illo fixo permanere & persistere potest. Tūc enim temporis tātum, vegetantia cuncta, pullulādi virtutem, & germinandi facultatem habent, & persistunt in esse vegetantis: illud enim est fixum humidum radicale, & per-

Quamdiu spirituosa substantia persistit in vegetantibus, tādiu & conservantur eorum virtutes.

Spiritus vegetantium quid.

& permanens centrum formæ, & animæ vegetantis, in quo radicatur ipsa forma: spiritus verò, de loquimur, est ætherea illa substantia, quæ ex purissima elementorum omnium, & subtilissima eorundem parte, quæ in aëre residet, & ex purissima itemque subtilissima alimentitii liquoris parte, conflatur, cujus ope & ministerio anima vegetans, suas agit facultates, hoc est, crescit & nutritur, & alimētum quod radicibus tanquam sanguisugis, ex terra sugit, singulis corporis sui partibus distribuit. Alimentum enim aqueum & terreum, quod omnibus terræ partibus, vegetantibus præsto est, non posset adeò subito, & continuo ferè motu, in altissimas & longinquas arborum quarundam partes devehi, nî spiritu quodam tenui & æthereo perfunderetur, ut ad quasdam arborum & vegetantium reliquorum partes deferri posset: vel enim pondere suo permaneret in radicibus vegetantium, vel deprimeretur ad centrum, & sphæram suam, vel crassitie sua, & glutine imperceptibiles vegetātium poros permeare nequiret: hinc marcore maximo vita sua fungerentur, alimento privata vegetantia, nec unquam fructus ferrent: ideò certum est & verissimum vegetantia habere spiritus æthereos, ut eorum alimētum deferri valeat per omnes vastissimorum suorum corporum partes, eorumq; anima fungi queat facultatibus suis, non secus ac animalia omnia habent spiritus æthereos & igneos, quibus eorum alimentum attenuatur, & anima suas agit energias: non tamen similes, & eosdem in substantia & gradibus caloris & ætheris habent spiritus vegetantia & animantia; vegetantia siquidem imbecilliores habent spiritus, hoc est crassiores, & aquosiores, quàm habeant animantia: in animantium etenim spiritibus pollet ætheris & ignis purissima pars, cæteris

Vegetantia cur habeāt spiritus.

Vegetantium spiritus dissimiles sunt spiritibus animaliū.

Spiritus animantiū quales.

cæteris elementorum partibus, ideòque eorum forma præstantior multò est forma vegetantium, & energias habet quam multas, energijs vegetantium multo præstantiores. In spiritibus verò vegetantium pollet & præcellit ætheris & aquæ semen cæteris elementorum seminibus, unde facultates etiam habent multò inferiores, ipsis animantibus: aqueum enim semen ineptum est ad facultates subtiles & altas eliciendas, ex formarum potentiis, id enim solius caloris est & ætheris, aqua etenim frigiditate sua & humiditate reprimit illas, imo extinguit omnino facultates & virtutes, quæ ex elemento ignis dependent. Hinc cùm in tali vegetantium semine, aliquid adhuc ignis reperiatur, & ætheris, imbelle tamen & flaccidum, & devinctum semine aquæ, cùm non possit suas proprias & innatas ignis facultates elicere, ex potentiis vegetantium formarum elicit quasdam alias facultates mediocres, & suis propriis & innatis facultatibus multò inferiores: & hæ sunt germinandi, pullulandi, crescendi & nutriendi facultates, quæ maximæ sunt & validissimæ in vegetantibus, propter eorum semen aqueum quod in varias, maximas, grandes, & altas corporis moles facili negotio potest extendi & divaricari, tum copia sua, qua universa terra turget, cùm facili corporis sui extensione, ex glutine innato suo, quod ex permixtione seminũ aliorum elementorum obtinet.

Spiritus vegetant. ũ quales.

Cur plantæ & arbores in vastissimã excrescant molem.

Hæc omnia prędicta summopere pensitanda sunt Chymicis omnibus, ut fixationem nostram in vegetantibus perficere queant: sunt enim vegetantia cuncta, si ad hoc arcanum devehi contendant, resolvenda in fixam illam substantiam & spirituosam, de qua jam loquuti sumus, ex industria, ut perfectissimè cognosci valeant. Ad resolutionem enim sub-

Substantiæ radicales vegetantium notissimæ esse debent chymicis.

ſubſtantiarum incognitarum nunquam deveniet Chymicus, etſi in ſua arte peritiſſimus. Si enim eas ignoret, ignorabit earũm qualitates, virtutes & temperamenta, quibus ignoratis inter reſolvendum, ſubſtantiam earumdem corrumpet & deſtruet, unde ad reſolutionem nunquam deveniat; quia antequam ad eam perventum ſit, totum annihilabitur, & in fumum abibit, quod peccatum celebre eſt Chymiculis quamplurimis, qui antequam cognoſcant & ſciant, quid ſit Alchymia, operibus chymicis incumbunt difficillimis, & his diteſcendi potiſſimum gula inhiant: At nimis alta quærunt ſtulti, at etiam ſtultos natura ipſa eludit, ipſos irridet. Itaque ne in hos calamitatis ſcopulos incidat chymicus, probe noſcat oportet has omnes radicales vegetantium ſubſtantias, quibus per quàm optimè notis, circa has pari methodo ſe gerere neceſſe eſt.

Methodus vera, faciẽdi arcani vegetantium.

Sumat puram putam vegetantiũ ſpirituoſam ſubſtantiam, eâque diſſolvat, fixam eorumdem ſubſtantiam pariter purã putã, & toties imbuat fixam illam ſubſtantiã ſpirituoſa ſubſtantia, repetitis diſſolutionibus, imbibitionibus, & diſtillationibus & ut uno verbo chymico totum dicam, coobationibus, donec fixa illa ſubſtantia ſublimationi inepta, ſublimetur, & volatilis fiat: hanc poſtmodum ſubſtantiam ſeptenis ſaltem ſublimationibus, elevatam, & cœlum terrenum factam ſuſcipiat, certo & noto pondere, vitróque impoſitam nitido & forti, oblongi colli, cum decuplo pondere ſpirituoſæ ſubſtantiæ ſeptena diſtillatione purificatæ, collocet furno ſecreto philoſophorum, ignique committat lento, & tempori donet ad cuſtodiendum donec omnia fixa ſint: ea methodo arcana vegetantium perficere poterit chymicus, eóque perfecto laudem, gloriam, & honorem Deo ſummo dicet,

cet, quòd tot miranda & stupenda miracula, infimis naturæ rebus & corporibus incluserit: quæ quamvis in dies corrumpantur & putredini obnoxia sint; attamen in centro ipsius putredinis & corruptionis aliquid arte humana eliciendum dedit Deus, quod nullam putredinem sapit, imò divinum ferè quoddam est, immortalitatis & divinæ potentiæ creatis omnibus infusæ, verum & unicum testimonium præ se ferens, ut alijs in locis superius demonstratum est. Ad hunc etenim scopum vergit potissimum Alchymia, vt ex rerum naturalium anatomia, partibus radicalibus earum penitissimè notis, non solùm intellectu, & ratione, at etiam visu, & tactu & gustu, hinc etiam clarissimè cognoscatur rerum naturalium author. In his enim partibus magis elucet naturæ author, quàm in effectibus earum partium, duro & tenebricoso elementorum corpore circumtectarum. Hoc infinitis rerum naturalium exemplis claret: homo siquidem quamdiu vivit, in suo corporis ergastulo, obscuras & occultas divinitatis suæ perfundit luces, nec nisi ratione, & fide percipi possunt. At post mortem, postquam durissimæ illæ, & obscuræ tenebrosæ corporis sui nubes, morte evanuerunt, qua tanquam in chymicis calcinatione, cæterisque chymicis operationibus, impura omnia separantur à puris: tunc enim temporis, si quis hominem cernere posset, & contemplari, quis esset adeò mentis inops, quin illicò divinitatem illam supremam quodammodo nosceret, percepta tanta, & mirabili & stupenda hominis divinitate, creata à suprema divinitate? Res etiam omnes aliæ naturales nisi corrumpantur & moriantur morte communi, hoc est separatione partium crassarum elementariũ, quæ non sunt ex puro elementorum semine, persistunt & perma-

In his omnibus quæ corrupuntur latet aliquid incorruptibile.

Ad quid vergat vera Alchymia.

Deus elucet magis in puris naturæ partibus quam in aliis.

Homo post mortem divinitatem suam clarissimè ostendit.

Res omnes nisi moriãtur nõ possunt pate-

facere umbram divinitatis & symbolum quod habent.

nent in esse simplici sui ipsius, nec ullum internæ divinitatis suæ lumen effundunt, hoc est facultates nullas foras protrudunt, nisi in corruptione & morte, quam dixi: sive enim in medicamenta assumantur, virtutem non communicant nisi moriantur, sive in terram proiiciantur, ad germinandum, & earum esse multiplicandum in quo potissimum divinitatis lumen elucere negandum minimè est, nequeunt absque morte, hisce fungi divinitatis suę muneribus. Ratio in promptu est, quod actionis omnis virtus, sit puræ tantum substantiæ, non excrementi. Excrementa impediunt actiones, & extingunt: ideò senectute omnia contabescunt & marcent, quod in ea excrementa turgeant, & copia sua extinguant actiones omnes: hinc cum purum naturæ, ad multum tempus actionibus suis omnibus privari nequeat, ad agendum enim natum est, molitur separationem illarum partium excremētitiarum & moritur, ut morte tali, excrementis quamplurimis expoliatum iterū muneribus innatis suis & propriis fungatur: hinc conjectura certa colligendum est, imò demonstratione clarissima affirmandum medicamenta chymica, hoc est quæ secundum artem Spagyricam sunt præparata habere plus actionis & virtutis, quam reliqua, quæ nullam unquam mortem, hoc est excrementorum separationem passa sunt. Sed ut nata sunt ita porrigūtur, & stomacho ingeruntur, adeò ut stomachus ejusq; naturalis igniculus cogatur antequam virtute medicamenti frui queat, separationem illam & mortē prædictam nostrā moliri, tentareque. At cum partes excrementitiæ quę in quolibet mixto copia turgent, foras eiici extra corpus nequeant, adhærescūt parietibus stomachi, & carnosis & pinguibus intestinorum partibus, hinc stomacho pariunt cibi fastidium

Actio omnis est tantum puræ substantiæ.

Dissolutio mixtorum qua occasione potissimū fiat.

Medicamēta chymica cur cæteris præstantiora.

stidium in appetentiam ἀνορεξίαν & ejus species, δυσορεξίαν & ἀσιτίαν, quæ cum calorem nativum ventriculi disperdere nata sint cruditates ingentes, & ἀπεψίας hinc oriri necesse est, & ex consequenti marcorem, & ἀτροφίαν singularum partium, cum ipsæ partes ex ventriculo, tanquam ex primo totius corporis, promptuario, nihil quod variis præparationibus futurum tandem queat esse alimentum capessere possint. Hoc clarissimè patet ex omnibus qui medicamentorum potionibus, singulis mensibus stomachum suum assolent, ut malo alicui quærant remedium, remedio malo ipso peiori: quippe malum in dies incurabile reddit, quod excrementis & gypso stomachi excrementum & gypsum addat. Subtilibus tantum & Spagyricè præparatis medicamétis huic malo succurrendum est, in his enim solis latet arcanum horum morborum, ut disputaturus sum in libris Therapeutices nostræ quos Deo dante in lucem dabimus: huc siquidem non morbi tractandi veniunt, sed medicamenta & arcana chymica, quæ cùm temerè, & inconsultò à quibusdam Medicis nauci habeantur, imò tanquam venena pura, ab iatrico Pharmacopolio, & antidotario arceantur, ab ijsdem: ex industria cum ipsis agendum est, eisque demonstrandum, purum naturæ nunquam philosophis ullis venenum fuisse, & naturæ inimicũ, imò ipsum solum iatricæ facultatis proprium & unicum instrumentũ, quo solo Medici veri uti debent & possunt, tum ad curandum, tum ad naturam intra sanitatis terminos conservandam: actionũ enim naturalium energijs & potentijs id possibile creditur. Actiones verò illæ, quæcumq; sint medicamentis naturalibus insitæ, vel ipsius medicamenti temperamentũ, vel ipsam formam substantialem consequuntur,

Morbi plurimi oriũtur in stoma. ho ex propinatione medicamentorum cõmunium.

Stomacho læso chymica medicamenta tantum potest mederi.

Medicamenta chymica non sunt arcẽda ab antidotariis Medicis.

Purum naturæ morborum omnium unicum arcanum.

quin imò omnes ſive ſint manifeſtæ, ſive occultæ ut ajunt à forma mediatè vel immediatè depēdent: forma etenim omnis facultatis, facultas omnis actionis principium & ſcaturigo cenſetur; etſi utantur temperamento tanquam inſtrumento, ad operandum. Actiones ergo à forma, actionum præſtantia à nobilitate formæ, nobilitas formæ, à pura, & nitida elementorum compoſitione, quæ tanquam pyxide in inferiori mundo, ſeminali elementorum clauſtro detenta concluditur, & conſervatur; ſic inter res ſublunares quæ puriorem nactæ ſunt ſubſtantiam & materiam, cæteris omnibus prænitent, ut claret ex homine, qui dum à puriori parentum ſemine ortum habeat, ſalubrior cæteris vivit, & intellectu ingenioque acutior habetur, non ſecus ac lumen quo nitidiori & politiori ſubjecto modo denſo concludatur, eò magis augeſcit & ſplendeſcit; ita ingenium humanum, quo puriori elementali clauſtro coërcetur, eò fortiùs ſplendoris ſui radios effundit: ſic cœli quòd puriorem ſublunaribus rebus nacti ſint ſubſtantiam, fortiorem, nobilioremque ijſdem ſublunaribus habuerunt agendi virtutem. Quid ſi terminos phyſici egredi nobis liceat, & ad mundum intellectualem & Archetypum convolare, in quibus propter ſimplicis ſubſtantiæ puritatem agendi incredibilis virtus & energia experitur. Vnde medicamentorum facultates, ſive à temperamento manifeſtæ, ſive à forma ſubſtantiali occultæ ut dicitur à vulgaribus philoſophis, dependeant, cum nobiliores aliæ alijs, & præſtantiores, noſtroque corpori convenientiores, per ſe nulla arte exterius operante reperiantur, id puræ, & nitidæ elementorum compoſitioni referemus, quam natura ſola, nulla adjuta arte, calore ſuo, purum ab impuro in

Res omnes puræ impuris præcellunt agendi potentia.

Ingenium humanum quo ſubiecto puriori coercetur eo facultates habet potentiores.

In Angelis & puris ſubſtantiis eſt mirabilis agendi poteſtas propter eorum puritatem.

quan-

quantũ poteſt ſeparante, machinata eſt. Cum itaq; natura in ſeparatione illius puri ab impuro, quamplurimis hac in re renitentibus debilis admodum ſe habeat, ars fuit ſagaci phyſicorũ ingenio invẽta, ut quò natura vergit, nulla difficultate dirigatur, cuius ope medicamenta, & reliqua hujus mundi inferioris corpora, ab omni elementorum ſpurcitie, vindicarentur, quæq; præ fæcibus & excrementis emortua, & ſterilia videbantur, viva adeò fierent & prægnantia ut germinent, ac de ſe nova novis, & iiſdem infinitis progenerent incrementis. Craſſa enim illa terreſtriq; mole ſpiritus vegetativus, velut carcere incluſus, impeditur quo minus ſuo fungatur officio Attamen ſi tali ſepulchro liberetur, & ab omnibus inquinamentis exolutus habeatur, ſine dubio ubicumq; erit, ſive in lapidibus, ſive in metallis, ſive in animalibus, aut vegetantibus virtutis ſuæ mirabiles effectus oſtendet, neque vis generativæ, ſeu vegetantis facultatis extinguetur, imò vegetior efficietur. Quibus potiſſimum argumentis, & ocularis experientiæ exemplis, fateri compelli neceſſe eſt Spagyricam artem Medicinæ eſſe columnam arcanis totius naturæ refertam quibus ignoratis, & mediam totius naturæ partem ignorari contingit. Parcant mihi ſummorum Medicorum manes, qui ſcriptis ſuis, & tabellis ex induſtria compoſitis, Spagyricam artem inutilem imò & noxiam prædicarunt, & petulanti quodam ſuſurro famam ejus cõtaminare ſtuduerunt. At veritatem nullus eloquentiæ impetus diſperdere, nec ullus verborum fluctus ſubmergere poteſt; poteſt quidem eam obſcurare, at nunquam ejus lumen penitus extinguere, quin tandem diſruptis illis nubibus, ac diſperſis, lumen effundat clarum. Sic purum iſtud naturæ, de quo loquimur, vitijs naturæ & peccatis, in mixtione re-

Alchymia cur inventa ſit.

Spiritus rerum omnium agendi eſt principium.

Spagyrica ars cur Medicinæ columna.

Veritas nullos timet verborum fluctus.

Purum naturæ contaminatur at non extinguitur omnino.

rum & compositione obumbratur. Attamen virtus eius, & lumen non omnino extinguitur. Quapropter chymici philosophi, ejus umbram discutere studuerunt ut ejusdem claro lumine, & radijs frui valerent, in fixatione & coagulatione ultima & absoluta arcanorum omnium id obtinuerunt, ut capitulis sequentibus clarum fiet.

CAP. XXVIII.

De Coagulatione Animantium.

Animantia unde oriantur.

ANIMANTIA uti & vegetantia, ex primo elementorum semine nata esse comperimus. Illud enim semen ex quo immediatè fiunt, & progignuntur, ex hyle elementorum est. Si quis enim Philosophiæ chymicæ alumnus internam animantium, & immediatam conquirat materiam & substantiam radicalem corporis eorumdem, non aliam inveniet, quam eam ipsam quæ alimentis animantium inhæret, radicaliter infixam: ex alimentis siquidem quibus ad vitam sustentandam utuntur animantia, fit semen prolificum animantium omniũ. Alimenta autem ex humido radicali, & puro naturæ, quod residet in vegetantibus & alijs desumuntur. Purum illud solum in alimentum facessere potest, & alimenti item purum & radicale in semen transire valet. Spiritus siquidem vegetativus & productivus in illo solo coërceri potest, absque illo varium est & inutile omne semen: purum autem elementorum omnium seu semen, quod & hyle multis in locis superiùs diximus, qua ratione transeat in purum & semen radicale vegetantium, ex quo deinde alimenta desumunt animantia, non est hujus loci repetere: nam superiùs tribus aut quatuor in locis clarissimè demonstravimus. Id ratum & firmum, & totius naturæ fundamentum credendum est, nec

Vegetantium & animantiũ eadem radicalis materia.

Purum naturæ solum in alimentum & semen facessere potest.

nec ullatenus de èo dubitandum. Supereſt tantum nobis diſcutiendum qua ràtione, & qua ſubtili & occulta naturæ facultate, illud purum vegetantium ſemen, quod ſuperiùs ad generationem animantium inutile fecerimus, poſſit jam in animantium ſemen faceſſere. Ad hoc naturæ arcanum penitus intelligendum, ſtatuendum eſt, & ratum habendum, naturam ex ſe ipſa ad perfectiorem ſtatum moveri, ignémque naturalem & vitalem ex ſe ipſo & naturali propulſum actione, cætera elementorum pura, quæ ad vitam conferunt, vincere & ſeparare, ita ut nî fortiori & validiori quodam agente impediatur, ſuum ſemper conſequatur optatum: attamen ſemper illud conatur, ſi fruſtretur intento, non eſt naturæ ſuæ, ſed impedientis validioris agentis caſus. His itaque conſtitutis non eſt dubitandum, cùm certò ſciatur, rerum omnium ſemen ex puriſſimo elementorum ſingulorum ſemine ſimul mixto conſtare, differentiam verò (quæ in ſeminibus rerum ineſſe comperitur ratione mixtorum inter ſe differentium quæ hinc oriuntur) dependere ex diverſis elementorum ponderibus & agendi potentijs & qualitatibus, quæ in ſemine illo elementali ſimul unitæ reperiuntur, in quo ſemine cùm ſemper certus aliquis ignis ſeminis gradus reperiatur, & pondus & menſura & agendi facultas & energia inſit permixta cum reliquis elementorum ſeminis gradibus, ponderibus, menſuris, agendi facultatibus & energijs: quamvis ſit ſæpiſſimè in inferiori multo gradu & pondere, cæteris omnibus elementorum ſeminibus, ut eſt in ſemine minerali & plantali: nihilominus cùm corpus ſuum in quo concluditur varias patitur corruptiones & diſſolutiones, depaſcit aliquid elementi vincentis, hoc eſt prædominantis gradus, & ſic creſcit pedetentim, & vincit

Qua ratione purum naturæ vegetantium facile mutetur in purum naturæ animalium.

Semen rerum omnium ex ſemine mundi eſt.

In omni ſemine ignis aliquis gradus ineſt.

Gradus ignis qui eſt in unoquoque ſemine qua ratione creſcat.

cit aliorum elementorum prædominantiũ gradus, & prædominatur ipſemet cæteris alijs: ita ut ſemen quod aqueum fuerit, jamjam igneum comperiatur. Quod ſi in ſuis corruptionibus & diſſolutionibus alteri ſemini igneo permiſceri queat, citò permeat ejus ſubſtantiam, & fiunt ambo unum, quod citò cæteras elementorum qualitates & facultates prædominantes, vincit & ſuperat: ſic dum animantia vegetantibus veſcuntur, vegetantium humidum radicale, quod eſt illud elementorum ſemen, de quo loquimur (& quod unicum alimentum eſſe poteſt) mutatur & tranſit in humidum radicale animantium, quod in corruptionibus ſeu diſſolutionibus corporis ſui, dum digeritur in ſtomacho animantium, & purum ſeparatur ab impuro, ſpiritus animantium, qui totus animantis corpus permeat, & in ſingulis reſidet partibus, imò & in concavis animantium partibus, una cum aëre communi permiſcetur. Spiritus inquam ille, cùm igneus & æthereus ſit, ut antea declaravimus, penetrat & permeat ſingulas vegetantis ſeminis, ſeu humidi radicalis, per digeſtionem diſſoluti partes, ita ut permiſceatur tunc temporis ſubſtantiæ igneæ & ætheree, quæ ibi reperitur, in diſſoluti illius partibus, & uniatur ſimul cum ea, & fiant ambo, unum, quod adventu ſpiritus animantis, omnium reliquorum elementorum gradus & pondera quæ inſunt in tali radicali humido, ſuperat & antecellit, & ſic mutatione ſui gradus in potentiorem, hoc eſt, in magis igneum & æthereum humidum radicale vegetantium, fit humidum radicale animantium. Pari ratione humidum radicale, minerale, quod ubique per ſingulas terræ partes diſpergitur ad mineralium omnium nutritionem & generationem, ſi quodam caſu in radices vegetantium indicat, radicéſque ſugant

Vegetantium purum facili negotio per nutritionem mutatur in animantiũ purum.

Humidum radicale minerale qua ratione transeat in vegetantium humidum.

gant illud, ſuctúmque digerere queant, & in ſuas diſſolvere partes, ſpiritus vegetantis, permeans partes diſſoluti humidi mineralis, unitur parti aëreæ, & multiplicat ipſam: ita ut cæteras vincat & ſuperet elementorum partes, & ſic tranſeat in humidum vegetantis & ſemen, & ita natura ſuas agit permutationes. Quod ſi aliquando humidum aliquod radicale, minerale, aut vegetale incidat in ſtomachum animantis, aut in radices vegetantium, nec ullo pacto à facultate coctrice ſtomachi, & digeſtiva radicis poſſit diſſolui in ſuas partes, & permutari ita ut caſu tali, veneno ſit animanti, & morti vegetantibus, hoc non eſt ratione humidi radicalis mineralis aut vegetalis, ſecundum radicales & eſſentiales internas ſuas partes, quæ nullo pacto venena eſſe poſſunt, ſed propter alias partes heterogeneas humidi radicalis, quæ unà cum humido radicali permiſcentur, quæ cùm nequeant à virtute coctrice, aut digeſtiva domari & in ſuas partes diſſolvi, ut hinc fiat ſeparatio puri ab impuro, neceſſe eſt ut illud integrum manens, agat in aliud humidum radicale, ut ipſum in ſuam ſubſtantiam convertat, aut ſaltem ut mutua actione, in ſeipſa, aut paſſione, ambo permutentur in tertiam ſubſtantiam, & ſic ambo ſæpiſſimè deſtruuntur, & morti ſunt ſibi ipſis: id omne quamvis ſæpe ſæpius accidat, in rerum natura, non deſtruit Philoſophiam noſtram, quam antea poſuimus de permutatione ſeminis vegetantium in ſemen animantium: nam quæ caſu fortuito fiunt cenſenda non ſunt neceſſaria naturalia. His itaque conſtitutis de humido radicali animantium natura ejus penitus indagata, ſupereſt ut arcanum illius, omni numero abſolutum detur. In coagulatione & fixione illius conſiſtit tota ejus & perfecta virtus & energia: hæc autem coagulatio

Venenum qua ratione ſuas exerceat virtutes in homine & in arboribus.

Venenum ſecundum partes radicales non eſt venenum.

Lullius in Theoria.

In coagulatione conſiſtit virtus tota arcani animantium.

latio non diverſa fit methodo, nec facienda eſt, ab ea quæ in vegetantium coagulatione ſuperiori capite à nobis deſcripta eſt, ſed eadem penitus via, purum ſemper naturæ ab impuro ſeparando, illúdque purum cum duplici differentia reperiatur in mixtis omnibus, fixum nempe unum, & volatile alterum mutuo inter ſe auxilio, ut ad optatum naturæ finem deveniant: fixum enim nunquam arte ulla ab impuritatibus ſuis, & partibus heterogeneis vindicaretur, nî volatilis auxilio, in partes diſtraheretur volatiles: & ex dracone reptili Hermetico, in draconem volatilem Ægyptiorum & aquilam Hermeticam tranſiret. Neque pari ratione, volatile purum naturæ altera pars radicalis mixti, coagulationem & fixationem, finem ultimum totius arcani habere poſſet, nî fraterna fixi puri ſocietate devinctum & amicitia, æternos pateretur ignes & flammas, inter quas incredibiles illas & mirabiles naturæ ſuæ virtutes, & facultates acquirit, & in arcani naturam abit. Quapropter Ægyptiorum prudentiſſimi draconem volatilem, & draconem reptilem ambo in circulũ conjunxerunt, ut arcani iſtius naturam ænigmate occultarent, ne in vulgus humidi radicalis fixi & volatilis, mutuam fraternitatem & operam propalarent. Dracones enim ambo appellantur à Chymicis omnibus, humida hæc duo radicalia: rationes verò quibus inducti ſunt ad hæc potiſſimum nomina humidis iſtis radicalibus imponenda, tradidimus ſuperiori capite de calcinatione animalium, & ſympathiam patefecimus quam habet ſerpens, cum humido radicali, itaque non hîc repetemus: at tantùm per tranſennam admonemus chymicos, ne fixationem animantium ſeu ultimum animantium arcanum attingant, quin ambo humida radicalia, pura puta habeant antequam conjungant ſimul, eo quòd niſi pura

Volatile & fixum mutuo egent auxilio ut purificentur.

Bacchon. Ignibus arcana vires acquirunt.

In ænigmate Draconis Ægyptiorum latet ſecretum magnum.

pura ſint, unionem reciprocam pati non poterunt; hinc erit fixatio impoſſibilis, & coagulatio firma & perfecta non erit, ut multoties in hoc opuſculo diximus: excrementa ſiquidem impediunt perfectam & abſolutam fixationem, ut patet in naturalibus mixtis, quorum humidum radicale, natura coagulationi tota indulgens, imperfectiſſimè vivit, & hinc imperfectiſſimè fixat, ideò leviſſimis agentium contrariorum impetibus diſſolvitur mixtum in ſua elementa, & ſubit mutationem, & corruptioné ſui eſſe. Quod non ita fieret ſi dura, & firma fixatione fuiſsét mixti partes radicales ſimul compactæ à natura, ut & compinguntur ab arte, in arcanis noſtris peragendis, in quibus poſtquam ars, ſedula induſtria partes radicales ab impuritatibus omnibus expurgaverit, tunc temporis facili negotio, dum partes radicales ab impuritatibus omnibus expurgaverit, tunc temporis facili negotio, dum partes radicales iterũ conjunguntur natura firmam & abſolutam rerum coagulationem & fixationem peragit: nihil enim tunc temporis eſt & reperiri poteſt, quod impediat perfectam & immediatam earum partium unioné, quin totis totæ permiſceãtur, & ſe penetrent, quod tamé ante ſeparationem excrementorũ fieri non poterat; quia excrementa, & partes illæ heterogeneæ, quæ ſeparatæ fuerunt impediebãt hanc immediatã unionem & partium radicalium permiſtionem. Quamobrem ſtudeant Chymici Philoſophi, ſeparationi partium heterogenearum, ſi Chymici abſoluti haberi cupiãt, diligentiſſiméq; penſitent, totam Alchymiam nihil aliud eſſe quàm ſeparationem puri ab impuro. Abſque illa ſeparatione, totum, quod in Alchymia reperitur, vanum eſt & inutile, nec ulla arcana poſſunt ex ea in lucem educi. Natura id nobis penitus commonſtrat in generatione animalium: ad gene-

Puritas & limpiditas partium radicalium ſemper præ habenda eſt, in arcanis peragendis.

Quare adeo leviter mixta corrumpantur.

Cur arcana chymica difficillimè corrumpantur, & tamdiu perdurent.

Alchymia quid.

Natura ad generationem animalium semen potius sumit quã aliquid aliud.

generationem eorum non sumit partes quascũque animalis, nec nobiliores nec inferiores, non cor, non cerebrum, non hepar, non manus, non brachia, non pedes, nec ossa, nec carnem, nec sanguinem, sed semen, tenuissimam & subtilissimam partem, ac purissimam reliquarum omnium quæ in animali reperiuntur, cujus partis elaborationem adeò satagit natura, ut si quis Chymicorum sagaciter introspiciat Alchymiam in ea elaboratione, naturam sedulo exercere reperiet. In primis alimenta omnis generis ori committit, ut inibi tanquam in mortarijs & pilis contundantur, hinc in ventriculum tanquam in vas aliquod chymicum protruduntur, ut percoquantur, digerantur, & in partes radicales dissolvantur; hinc protruduntur in intestina, ut inibi tanquam per filtrum percolentur, & transmittantur in puriorem multò quam anteà substantiam. Venæ meseraicæ recipiunt illam substantiam ab excrementis crassis & impuris vindicatam, & in hepar veluti in pelicanum deportant, ut inibi continuo foco, hæc substantia circuletur, & circulatione illa in puriorem quàm anteà transeat substantiam, hinc per venam magnam sublimatur in cor, ut parti alimentitiæ ethereæ (quæ ex aëre magnetica vi quadam attrahitur à vitali nostra facultate) conjungatur, & simul permisceatur, ut tali permixtione per arterias, veluti per vasa sublimatoria, in singulas universi corporis partes, undiquaque per ascensum, & descensum sublimetur, sepositisque omnibus lutulentis recrementis, partibus tandem alendis conjungatur, & in earumdem partium per nutritionem convertatur substantiam, ibique fiat ultima alimenti præparatio, in qua præparatione, dum mutatur alimentum, partim ipsam fixationem & coagulationem nostram animadvertere pos-

Ex aere à facultate vitali, spiritus vitæ attrahitur.

Mutatio ultimi alimenti repræsentat fixationem.

re possumus, & quàm sedula industria, natura ipsa studeat, & incumbat separationi puri ab impuro, antequam deveniat ad partium nutritionem & conservationem, quæ alia nova generatio dici potest. Nam natura in nutritione non secus ac in generatione, easdem observat vias & operandi rationes. Postquam siquidem semen ex ultima alimenti præparatione eduxit, & ex testiculis in uterum induxit, natura illicò in ipso utero separatorias molitur industrias, ut ex singulis puri partibus singulas & particulares effingat partes, confluentéque purissima alimentitij sanguinis parte, eas auget, & in molem certam & definitam, naturæ convenientem extollit. in arcanis Chymicis simili industria ars utitur, ut peculiariter sequenti capite commonstrandum erit.

Nutritio est nova generatio.

Natura in generatione animalium Spagyricam exercet artem.

CAP. XXIX.

De Coagulatione Mineralium.

PER coagulationem & fixationem mineralium, uti in præcedentibus alijs capitibus, intelligimus partis utriusque puræ tam volatilis & fixæ (quæ compositionem mineralium ingrediuntur) induratam unionem, & compactionem arte non natura paratam. Ad hanc enim fixationem perficiendam, ea ipsa fixatio quam mixtis omnibus natura primò induxit, dissolvenda est & destruenda, ut alia artificiosa celebrari possit: arte tamen & summa industria, hanc dissolutionem & mixti compositionis primæ destructionem celebrandam esse tunc admonuimus, primis de solutione capitibus. Periculum imminet tunc temporis, ne mixti radicales partes destruantur, & in alienam permutentur substantiam, nî cautè & prudenter & phy-

Quid per fixationem intelligatur.

Quamvis partes radicales in operibus chymicis aliquando in aliam permutentur substãtiam, virtutes habẽt insignes.

& physicè agatur cum illis. Quod si hoc contingat, partes ipsæ radicales, quamvis ad ultimã puritatem conducantur, & inter se simul puræ conjungantur, in hac iterata unione & fixatione, non observant primas mixti proprietates. Cum tamen natura, nec ars producant mixta, absque virtutibus quibusdam certis & peculiaribus ideò tale mixtum modò purum sit, & secundum leges omnes Spagyricæ artis fabrefactum & compactum sit; mirandas habebit virtutes & energias, secundum proprietates & virtutes peculiares, quas in dissolutione ex spiritibus dissolventis, & destruentis mixtum contrahere necesse erit. Hos autem spiritus docuimus antea multis in capitulis, & demonstravimus quales nam sint, & undenam desumantur: horum spiritum mentioné non ego primus excogitavi, & in rerum naturá reperij non tantum mihi est vanitatis arrogandum. Pythagorici omnes ferè Philosophi & Platonici, horum spirituum in disquirendis naturæ arcanis meminerunt & recordarunt, geniósque vocarunt. Horum omnium philosophorum si quis philosophiam perlegat, & interpretari tentet, reperiet geniorum Platonicorum, & spirituum Spagyricorum eumdem fontem, & scaturiginem: itaque ne mirentur quæso philosophi huiusce temporis philosophiam hanc, tanquam novam & inauditam, quia certè vetustissima est, & antiquissima, sed antiquorum involucris & ænigmatibus complicata infinitis, quorum ratione interpretes Spagyricæ artis ignari, aliam fecerunt philosophiam, quam miris ingenij humani subtilitatibus, in animos ferè omnium inculcarunt, & adeò radicitùs infixerunt, ut aliam philosophiæ radicem admittere nequeant: omnia semina quamvis in animos multorum proijciantur sterilescunt & putrescunt potius quàm germinent. Enutrita siquidem

Partes mixtorum permutatæ undenam habeant virtutes.

Genij Platonicorum quales.

Alchymia valde antiqua.

dem arbor peripateticæ philosophiæ non optimè, & ad unguem interpretatæ, prægrandis facta totum alimentum trahit, cæteri surculi propter tenuitatem, & recentem eorum pullulationem levissimis vanæ opinionis austris siccescunt. Nihilominus tamen invita quamplurimorum contumaci minerva, hæc tandem philosophia caput exeret, & ignarorum sputis, & totius vulgi in eam ipsam inquinamentis, tanquam fimo & stercore, in immensam excrescet molem, fructus dulces & amœnos pariet, non fimi & stercoris ingratam mephytem redolentes. Attamen ne horum querelæ à proposito me avertant meo, mineralium persequor arcanum. Quod cùm potissimum in fixatione partium radicalium mineralium consistat, disputandum venit, qua methodo, & qua subtili artis industria, partes radicales mineralium puræ factæ, sint invicem conjungendæ & complicandæ ut fixentur, & quo pondere & qua proprietate & peculiari indicio puritatem earum partium cognoscere valeamus. Imprimis ergo summopere studendum est, ut volatilis mineralium partis radicalis copiam maximam habeamus, puram & putam & ab omni inquinamento liberam, quod septena distillatione obtinebis, & quod gustu, visu, & tactu percipies. Gustu primò dulci, acri, non secus ac si esset liquor malorum grana torum subdulcium, acriori tamen multo est, inest præter dulcedinem & acritudinem illam maximam, violentia quædam ignea in liquore illo, ut acetum sulphuris per campanam factum & rectificatum esse videatur, & quinta vini essentia multum temporis circulata, & spiritu sulphuris imprægnata: quod verò ad visum attinet, circa liquorem nostrum preciosissimum, liquor est perlimpidus, tenacis,

Florere tandem Alchymiam sperat Author.

In fixatione consistit arcanum mineralium.

Quid priùs in arcano mineraliũ necessariũ sit.

Mercurius philosophorum quibus cognoscatur notis.

nacis,& glutinosæ substantiæ, syrupi crassissimi persimilis, aut olei, per tactum autem pondus ejus gravissimum percipimus, metallo siquidem dissoluto, & in aquam redacto assimilatur. Postquam Spagyricus Philosophus hæc omnia indicia in liquore suo, è parte radicali volatili mineralium extracto, perceperit, cognoscat ultrà necesse partis radicalis fixæ, qualitates peculiares, quibus ejus puritas & perfectio cognoscuntur. In qua substantia fixa sive terra, hoc granum debet seminari & implantari, hoc est liquor ille & aqua mineralis debet putrefieri, & tandem fixari, & ambo fieri sulphur naturæ, ex quo immediatè cum eadem aqua fit lapis ille physicus & tinctura celeberrima Philosophorum: hanc fixam radicalem mineralium partem puram factam, & operi nostro idoneam percipimus multis indicijs suæ perfectionis, & puritatis symbolis & characteribus. Imprimis cùm in dissolutione cum aqua sua, suæmet substantiæ in aquam limpidam post quietem summam non dantur ullæ feces in fundo vasis, nec ulli atomi per mediam aquam pervolant, & ejus limpiditatem perturbant, sed cuncta limpida, claraque persistunt, adeò ut aqua ipsa, intra poros nihil substantiæ solidæ coërcere videatur, nisi quod aqua rubea facta est. Secundò, quod in dissolutione, aqua & terra ambo simul commisceantur, & impastentur simul, velut terra esset gluten & gummi quoddam, & verum est gummi illius aquæ. Tertiò, nullo stridore, nullâque inter se vi facta ambo conjunguntur, & terra dissolvitur in aqua sua pedetentim tenuissimo calore, veluti glacies in aqua calida, aut butyrum in oleo calido. Subsequitur pondus gravissimum tanquam metallum perfectissimum: hæc omnia signa cùm quis Chymicorum percipiet, certus sit absque dubio ullo,

Quibus notis noscatur sol physicus.

ullo, unionem partium radicalium mineralium tentare posse, nec frustrà tentare si tentet. Vt autem hanc unionem & conjunctionem aggrediatur, & ad finem peroptatum conducat, pondus utriusque humidi radicalis notum habere oportet: humida siquidem pars, hoc est liquida, & formam aquæ referens, illa pars humida radicalis mineralis copiosior esse debet, tum quantitate & pondere, quàm substantia illa sicca, formam salis purissimi referens, quæ est altera pars humidi radicalis mineralium: copiosior autem esse oportet multiplici ratione. Imprimis, quòd si pars sicca præponderaret parti humidæ, corruptio non fieret ulla in arcano nostro, hoc est nigredo, quæ nisi fiat impossibilis est amborum humidorum conjunctio, & radicalis unio; unde nisi perfectè & physicè hæ partes inter seuniantur & conjungantur, perit totum arcanum. Corruptio autem non fieret, quòd pars sicca, quæ naturam salis sapit, corruptionem nesciat ullam, tum propter siccitatem suam, tum propter fortem sui ipsius coagulationem & partium unionem quam recepit in sublimatione sui ipsius, beneficio cujus corruptioni resistit. Addam & ego quòd corruptio non fiat, nisi per humidum, actione cujus siccum dissolvitur, & in dissolutione corruptionem patitur, quòd humidi partes in sicci partes penetrent, & tunc temporis, datur actio humidi in siccum, quæ actio dari non potest, absque passione sicci, & ambo sine corruptione, quæ tendat ad novam generationem. Hinc certissimum est partem humidam præponderare debere parti siccæ. Quali autem & quanto pondere una alteri præponderare debet, de hac re inter se non conveniunt Philosophi Chymici: attamen quamvis diversa proponant pondera, ut multis in locis repe-

Pondus in genere mercurij volatilis.

Ratio cur copiosior esse debeat mercurius sale.

Corruptio, initium totius arcani dependet à mercurio.

De pondere certo cur non consentiant inter se authores.

ries passim in turba Philosophorum, in scala eorumdem, in Morieno, in Lullio, in Arthepio, & in alijs multis authoribus, nihilominus illi omnes etsi diversa proponant pondera non deludunt Lectores, nec irrident, quia in pondere & mensura arcani physici datur quædam latitudo ponderis & mensuræ, tum in prima & secunda operatione, quæ gradus permultos habet, intra quos conservatur pondus debitum & legitimum arcani physici, cum conservatione virtutis generativæ & productivæ: non secus ac in generatione animalium, in qua observari potest ab uno & eodem parente, in diversis horis & temporibus, diversa eijci spermatis prolifici pondera, & conjungi etiam eadem pondera diversa, cum diversis ponderibus spermatis alterius parentis; & tamen has omnes conjunctiones & copulationes seminum in utero quamvis pondere & mensura diversas, esse omnes prolificas comperimus. Pariter in conjunctione seminum metallicorum & mineralium in generatione arcani physici nostri, etsi varietas ponderum partium radicalium, quæ semen metallicum constituunt, proponatur ab authoribus Chymicis, non impedit hæc varietas generationem arcani, nec authores nostros accusat mendacij.

Datur latitudo in pondere mercurij intra quā conservatur virtus productiva arcani physici.

In diversis enim ponderibus potest perfici arcanum nostrum, modo non excedant hæc pondera latitudinem ponderis arcani physici, intra quam conservatur virtus productiva illius. Latitudinem autem hanc existimo consistere posse intra limites unius ponderis partis siccæ, absolutè depuratæ & sublimatæ usque ad decem aut duodecim partis humidæ itidem depuratæ ad summum per septenas distillationes, absque ulla læsione virtutis generativæ, ita ut possit conjungi pondus unum partis terræ nostræ foliatæ, cum trinis saltem ponderibus, ad

In diversis ponderibus potest perfici arcanum.

minus

Latitudo ponderu qualu, & quanta eſſe poſſit.

minus partis humidæ, ſeu mercurij noſtri, & ab his trinis ponderibus ad decem pondera humidæ partis cum unica parte partis ſiccæ, poteſt ritè fieri conjunctio & copulatio mercuriorum noſtrorum abſque ullo detrimento, niſi quòd dum humidæ partis decem ſunt pondera, ſupra unum pondus partis ſiccæ, tardiùs fit coagulatio, ſeu fixatio arcani noſtri: ita ut ſint Philoſophi qui aſſerunt ſe arcanum noſtrum perfeciſſe intra duos menſes, alij verò intra annum, alij intra duos annos: hi omnes nullum proferunt mendacium, quia brevis ſeu celer, longa ſeu tarda arcani noſtri maturatio, dependet à pondere aquæ phyſicæ, quam dicimus nos, ad faciliorem intellectionem partem humidam humidi radicalis mineralium. Arcanum verò totius celeritatis in peragendo arcano phyſico, conſiſtit etiam in mercurio, rubeo volatili, quæ eſt tinctura phyſica extracta ex ſole noſtro, hoc eſt ex ſulphure naturæ, actione ignis in rubeum verſo, quod ſi diſſolvatur cum aqua ſua, mercurio ſolis ſeu ejus tinctura & ſanguine imprægnato, trino ad minus pondere, & leniſſimo igniculo continuo, ambo foveantur in Athanore phyſico, intra duos menſes vel celerius totum completur vel perficitur arcanum.

Celer aut tarda arcani perfectio à quo dependeat.

Non mirandum ergo eſt, ſi Philoſophi Spagyrici diverſa tempora ſtatuant in perfectione arcani, quia ſinguli proponunt tempus, in quo ipſimet perfecerunt. Quòd autem diverſum fuerit pondus aquæ mercurialis, ita pariter diverſum fuit tempus perfectionis & maturationis arcani eorumdem. Aqua etenim mercurialis cruda cùm ſit & incocta, & infixa & volatilis, nequit ſubitò coqui & fixari, ſed in tempore, pepaſmum & fixationem ſui ipſius acquirit; quam tamen fixationem accelerat perpauca quantitas ſolis noſtri phyſici, qui cùm coctum ſit & fi-

Tempora varia in quibus perfecerunt opus ſum chymici varij.

Vt arcanũ phyſicum celeriter peragatur quid agendum.

& fixum, coquit & fixat celeriter partes crudas, & incoctas aquæ mineralis. Quod tamen non fieret nisi tempore nimis longo, si non esset. Sol noster, qui interno suo igne adiuvat internum alium ignem sui similem aquæ mercurialis ad fixationem celeriorem. Ex sola autem aqua mercuriali posset quidem in longissimo tempore opus perfici, cùm sit ejusdem substantiæ & naturæ radicalis cum sole nostro, & propterea posset tandem fixari & aurum fieri Philosophorum & tinctura eorum, propter internum sui ipsius ignem seu sulphur, quod fixationem illam naturali sponte molitur, hinc dixerunt Philosophi, *Est in Mercurio quicquid quærunt Sapientes*, quod tamen de Mercurio tinctura Solis impugnato est intelligendum, quia talis mercurius est verus eorum mercurius. Aqua mercurialis propter humiditatem quam habet maximam crudam & volatilem non potest ita celeriter fixari nec propterea perfici, itaque nisi figatur (ut interni sui ipsius spiritus metallici, & minerales intra suæmet substantiæ radicales partes concludantur & retineantur, ne in projectione & transmutatione metallica, æthera petant, & in auras avolent) futilis est & inanis ferè, quia dum ipsa avolat in projectione, secum ducit spiritus metallicos, qui soli possunt perficere, complere, & absolvere metallicas substantias imperfectas, crudas & incoctas. Ideò absolutè necessarium est, ut illa humiditas cruda, incocta & volatilis, quæ constituit aquam mercurialem, secumque coërcet spiritus metallicos, absolutè & perfectissimè coquatur & figatur, ut pariter cum ea coquantur & figantur spiritus metallici, qui in ea ipsa concluduntur. Hi enim soli sunt vita, & perfectio metallorum: hoc autem posse fieri sine auro numquam sum expertus, nec tempus vellem in ea experien-

Spiritus soli metallici perficiunt arcanum.

perientia diſperdere. Nam ſi ſola aqua mercurialis intra vas aliquod ſpagyricum ad hoc arcanum peragendum & fovendum aptum concluderetur, & furno ſecreto Philoſophorum, & igni eorumdem daretur ad cuſtodiendum & perficiendum, perficeretur quidem & abſolveretur arcanum, at intra quot & quantum tempus (quia id numquam tentavi, nec aliquem tentaſſe ex antiquis ex eorum monumentis ſcriptum reperij) prorſus neſcio; exiſtimo tamen intra decennium fixationem debitam & abſolutam fieri poſſe. Rationes quæ ad hoc ſuſpicandum me compellunt ſunt potiſſimũ, quia ſingula pondera terræ fixæ ſupra decem pondera aquæ mercurialis annum conſtituunt, intra quem, decem illa pondera aquæ mercurialis fixationem nanciſcuntur abſolutam & perfectam. Itaque ſi unicum tantum pondus terræ noſtræ, decem pondera aquæ mercurialis figat & coagulet intra annum: conjectura hinc certa, & peculiaris deſumi poteſt, quòd ſi nullum pondus terræ hujus adhiberetur & admiſceretur aquæ noſtræ, hanc non poſſe abſolutè fixari & coagulari, niſi intra decennium. An tamen id abſolutè verum ſit, & conjectura prædicta certiſſima ſit, aſſerere nolim: quòd in macrocoſmo experientia oculari in dies cernere liceat, mercurium mundi, ſeu humidum vitale, ex quo res omnes fiunt & creſcunt, coagulari in herbas, & plantas, & arbores, abſque ulla prævia terræ ſuæ fixæ parte. Quod enim Archæus naturæ vitalis ignis miniſter, è centro terræ (ubi ſemina elementorum cum puriſſimo cœli, permixta fuerunt, ut generationes rerum omnium conſerventur, & in ſæcula à Deo conſtituta propagentur) ſublimat & in altum ducit, volatile omnino eſt, nec ullas terræ fixæ partes habet, niſi in quantum terræ purum volatile, & aquæ,

Ex ſola aqua mercuriali nũpo. 1. fieri arcanum.

Coagulatio à quibus dependeat.

Multa in macrocoſmo coagulantur abſque terræ fixæ partibus ullis.

per ignem internum quem unitum ſecum habent, poſſunt tandem fixari & coagulari, ut diximus fieri poſſe in aqua ipſa mercuriali. Nihilominus illud ipſum volatile, quod è centro terræ aſcendit in generationem rerum omnium, & nutritionem, in quibuſdam peculiaribus locis fixatur & coagulatur intra unicum annum in plantam perfectam abſque ulla prævia radice, aut prævio ſemine, in quibus latere & reſidere terræ fixæ mercurij mundi partes aſſerere poſſumus, in his omnibus naturæ mixtis, quæ radicibus aut ſeminibus vitam & nutritionem habent. At ſunt quædam plantæ & ferè infinitæ quæ ſingulis annis in diverſis terræ pagis abſque radicibus ullis prævijs aut ſeminibus, ſed ex ſolo mercurio mundi, cum ſpiritibus quibuſdam peculiaribus, ad hanc peculiarem generationem natis, qui mercurium mundi, ita diſponunt ut hoc particulare generet, & non aliud, oriuntur & germinant: imò in plantis ſolis id non ſolùm reperitur, at etiam animalia ferè quamplurima & infinita reperiuntur, & metalla & lapides, quæ omnia abſque præſuppoſita materia veluti ſemine quodam particulari oriuntur, extra loca particularia, & propria generationi eorum. Qualia ſunt ea omnia, quæ in media aëris regione generantur animalia, lapides & metalla, in quo loco nulla ſuſpicio eſt, partem fixam mercurij mundi devenire poſſe, niſi volatilis omnino facta ſit, quæ tunc temporis, eamdem naturam & conditionem cum partibus terræ fixæ, quæ reperiuntur in aqua mercuriali, quæ quidem inſunt aquæ mercuriali, nihilominus volatiles factæ ſunt, & nihil habent fixi in ſui centro, niſi quod interno vitali ſuo igniculo, tempore quodam ad fixationem duci poſſint: itaque ſi in plantis, animalibus, metallis & lapidibus ſubſtantia illa mercurialis, volatilis

Multa generantur abſque ſemine prævio.

Animalia metalla, lapides & alia poſſunt generari in aere abſque prævia terræ fixæ parte.

ſubitò ducatur, aut ſaltem breviſſimo tempore ad fixationem adeo firmam & conſtantem, ut in multa deinde ſæcula durent, & protrahant ævũ; quidni fieri poterit aquã mercurialem ſolam per ſe ipſam nullo alio externo adminiculo perfectionem ſuam & fixationem ultimam attingere poſſe? cum internos habeat Archæos ſeu Miniſtros ſuæ perfectionis, qui diu noctuque indefeſſo labore humidum ſui tractant & coquunt, & ad perfectionem conducunt, & cum potiſſimum hi ſoli Archæi valeant ad fixationem peragendam: ſunt enim ſpiritus ſalis, qui etſi ſoluti ſunt, nihilominus unquam obliviſcuntur ejus, ad quod agere nata ſunt. Fixatio & coagulatio rerum omnium ab ſpiritibus ſalis dependet, & aqua Mercurialis phyſica nihil aliud eſt, in centro ſuæ ſubſtantiæ quàm ſpiritus ſalis mineralis; qui per mutationem aëris ſeu corporis aërei, in aquam aqua facti ſunt. Hinc concludendum eſt, quòd ſi aqua Mercurialis ſola abſque partibus ullis terræ fixę ſubitam (hoc eſt breviſſimo in tempore) non attingat fixationem ultimam & abſolutam, non dependet hoc opus à mercuriali ſubſtantia pura & ab omni alieno excremento ſeu ſubſtãtia vindicata, ſed à ſubſtantia aquea quæ ſemper invitis chymicis & arte omni ſubſtantiam mercurialem comitatur & fere diſtillationibus omnibus eſt inſeparabilis, quia ſubſtantia illa mercurialis adeò calida eſt, ut appetat humidum aëreum, idque attrahat vi magnetica, quia attrahendo ipſum, attrahit ſecum ſubſtantiam mercurialem aliam ſimilem ſibi, quæ in aëre reſidet, & latitat, ex qua vivimus omnes; illa autem non poteſt attrahi quin aër ſimul trahatur, quod aër ſit vehiculum illius. Aër autem citò mutatur in aquam, & illa aqua eſt, quã chymici quamplurimi urinam infantis noſtri vocarunt,

Archæi ſunt ſpiritus interni qui humidum radicale gubernant.

Fixatio unde dependeat.

Unde depẽdeat tarditas fixationis arcani phyſici.

Aqua mercurialis caliſſima eſt.

Vrina philoſophorũ quid ſit.

carunt, quam omni ſtudio ſeparandam juſſerunt, ne ęgrotet infans, vel ne corrumpatur fetus noſter: hæc aqua eſt quæ impedit & retardat fixationem noſtram, quia heterogenea eſt, ſubſtantiæ mercuriali. Unde neceſſarium eſt, ut illa aqua pedetentim ab interno igne mercurialis aquæ depaſcatur, & conſumatur, quod quidem citius fit per partes terræ noſtræ fixæ, ſed addantur mercuriali aquæ noſtrę, cum ſicciores ſint, & calidiores, tanquam ab omni ſubſtantia aquea privatæ, hinc citius & velocius conſumunt illam, & abſorbent humiditatem cōjunctæ & copulatæ cum aqua mercuriali, quàm ſi aqua mercurialis ſola coqueretur, ad arcanum noſtrum abſolvendum. Itaque addant chymici mercuriali aquæ, pondera nonnulla terræ fixæ noſtræ, ſi cupiant citam videre arcani philoſophici fixationem & coagulationem, & operis perfectionem quam Deo dante videbunt, ſi cum labore & induſtria eorum preces conjungant divinas, quibus Deus omnia cacodæmonis opera, quæ huic operi intervenire ſolent, avertet.

Vrina philoſophorum impedit celerem fixationem.

Cur partes terræ fixæ addantur arcano chymico.

CAP. XXX. & ultimum.

De Multiplicatione Arcanorum

PER multiplicationem arcanorum chymicorum intelligimus, arcanorum meliorationem in virtute & agendi potentia, & accretionem & augmentum in pondere, ejuſdem omnino virtutis & facultatis. Unde multiplicatio perfectè ſciri non poteſt, quin tota arcani Philoſophici operatio perfectè teneatur & cognoſcatur; conſiſtit enim in reiteratione coctionis arcani noſtri. Unde ſi in multiplicatione ejus, ſubſtantiam illius coqui neceſſe ſit & oporteat, coctio illa fieri nō poteſt, quin partes omnes ſubſtātiales arcani noſtri iterum diſſolvan-

Lullius in Theoria. Quid per multiplicationem intelligatur.

Turba philoſophorũ paſſim.

Multiplicatio arcanorum in quo conſiſtat.

ſolvantur aqua mercuriali, & ita incrudeſcant admixtione ſubſtantiæ crudæ, quæ hac methodo crudæ factæ, & diſſolutæ, iterum diſtlllari & ſublimari poterunt ut denuò purificentur amplius, & ſubtilitatem acquirant ampliorem, & penetrandi vim majorem, poſtquam coagulationem iterum adipiſcentur. Hinc Sole clarius eſt omnibus, multiplicationem fieri non poſſe, quin tota arcani noſtri methodus antea cognoſcatur; nam reiterantur omnes operationes, in multiplicatione. Attamen non tantum temporis impenditur, & conſumitur in multiplicatione, ac in prima arcani noſtri operatione, eò quod ſpiritus metallici, & minerales, & ignis internus partis utriusque copioſiſſimi ſunt in multiplicatione; unde citius & velocius coquunt & perficiunt quicquid eſt crudi aquæ mercurialis quod fuit admixtum in diſſolutione lapidis. Copioſi autem ſpiritus minerales, & ignis internus utriusque materiæ, eò quod omnes hi qui erant in prima compoſitione, retenti fuerunt & coagulati in prima coagulatione, & jam in ſecunda adduntur novi ſpiritus novusque ignis, beneficio aquæ mercurialis, quæ tota eſt ſpiritus mineralis & ignis, & ſi tertiò, quartò, aut pluries diſſolvatur arcanum, & iterum coquatur & fixetur, tanto pluries multiplicabuntur ſpiritus & ignis naturæ, & creſcet eo modo agendi facultas & energia. Non in vanum & temerè dixere multi chymicorum vim agendi & poteſtatem arcani eorum in infinitum extẽdi & intendi poſſe, etſi limitatæ ſint & terminatæ rerum naturalium actiones realiter, & in rei eſſentia; nihilominus quatenus ſuſcipiunt magis & minus, & extenduntur corpora & intenduntur actiones eorum ultra terminos communes & aſſuetos naturæ, ideò chymici antiqui infinitam pro-

Multiplicatio arcanorum ſciri non poteſt, quin tota operatio ſciatur.

Aqua mercurialis qualis ſit.

Antiqui philoſophi cur dixere in infinitũ extendi poſſe arcanum.

proclamarunt arcani eorum vim & potentiam, non quod verè & actu talis esse posset, secundum naturam infinitæ actionis, sed dixerunt infinitam, hoc est maximam & majorem communi & naturali agendi potestate: quamuis enim posset virtus & facultas agendi, & transmutandi arcani mineralium: in tantam intendi actioné, ut granum vnum illius pulveris infinitam ferè (respectu illius grani) argenti vivi quantitatem in aurum vel argentum converteret, non ideò foret ejus infinita virtus, maxima enim illa quantitas argenti vivi (etsi foret mare) finita est & terminata, esset quidem vis & potétia quàm maxima, & supranaturalis agentis cómunem efficaciam. Sit ergo ratum & firmatum inter Chymicos, virtutem & agendi energiam arcanorũ eorum posse intendi ultra communes & vulgares actionis naturalis terminos, non in infinitam provehi actionem. Qua autem ratione id fieri possit, & qua peculiari naturæ secreta substantia jã perscrutandum venit. Scitur omnibus Philosophis Chymicis actionum omnium præstantiam à forma dependere, mediante calido, innato, & humido radicali, quo nititur tanquam instrumento ad operandum, & quo tanquam fulcro, persistit in rerum natura. Illud autem humidum radicale, quod est instrumentum actionum omnium, si alteretur, corrumpatur, vel omnino destruatur, pari etiam alteratione alterantur, corrumpuntur, & destruuntur ejus actiones, quia eo alterato, vel immutato, vim paritur forma, imò eandem patitur immutationé: immutatur autem istud humidum radicale, tum ab externis agentibus contrariis, tum ab internis; externa agentia sunt omnia illa quæ vim habent, ejus temperamentum & crasim interturbare, qualia sunt calor, frigus, siccitas & humiditas, ad summũ & su-

Omnis actio est à forma mediante humido radicali.

A mutatione & alteratione humidi radicalis dependet alteratio & mutatio actionis.

& ſupra naturæ ſervatricis terminos & limites, conductæ, qualitates, quarum actiones præter naturam ſolent id, in quod agunt, in aliã mutare ſubſtantiam, & aliud inducere temperamentum, unde ſtatim mutantur & deſtruuntur primi temperamenti actiones. Interna verò agentia quæ poſſunt eadem præſtare, ſunt etiam qualitates præter naturam, ſed hæ qualitates non de foris ſunt, ſed ex intimo materiæ ſinu, quæ cùm invicem & in ſeipſas agere natæ ſunt, quod earum ligamen, cujus ope concordes fiunt tempore labatur, poſtulante ita ejus ſubſtantia labili, ſtatim una qualitatum activarum præpollet alteri, & ita cæteras omnes in pugnam pellicet, & ita corruit mixtum, donec mutua pugna inter ſe coeant, & pace inita ligamine ſubſtantiali ex elementorum materia convecto, mixtũ novum producant, quod tandiu durat, quandiu ligamen iſtud ſubſtantiale elementorum in ſuo eſſe, nulla ſubſtantiali ejus parte diminuta aut alterata, perſiſtere poteſt. Ligamen autem iſtud quo vinciũtur qualitates, eſt quinta elemẽtorum ſingulorum eſſentia, ſeu purum, quod ex ſe ipſis ſingulis, tãquã florem deprom ũt, & ad centrum terræ demandant ut miſceatur, & fiat ſemen, ex quo res omnes, per Archæum naturæ, qui ſpiritus eſt formatrix rerum ſingularum, producuntur, quò vero purius & nitidius eſt illud elementale ſemen, eò longiùs durant res omnes quæ ex eo ortum habent, & fortiores habent omnes actiones quæcunque ſint, quia forma vegetior, & robuſtior eſt in ipſo ligamine puro & nitido, quàm in alio impuro & craſſo, quod ex impuritate & craſſitudine qualitates ſuas primarias elementales intemperatas habet: craſſities quidem & impuritas humidi radicalis nequit eſſe ſine aliquo intemperamento, quod intemperamentũ cùm pecu-

Mixta qua ratione nata ſint corrupti obnoxia.

Ligamen quo vinciuntur qualitates elementorum qua eſit.

Archæus naturæ quia ſit.

Virtus vegetior unde ortum habeat.

Impuritas nequit esse sine intēperamēto.

peculiares habeat actiones, necesse est contrarias esse formæ innatæ & temperamento, hinc frangātur inter se necesse & debilitentur. Quapropter impuri & crassi mixti actiones imbecilliores multò erunt puri & nitidi mixti actionibus. Ideò Chymici Philosophi omnes, hæc animo perscrutantes & & experientia tentantes, postquam arcana sua, ex mixtis simplicibus naturalibus perfecerunt, videruntque eorum arcana decuplo esse fortiora, in agendi virtute, quā simplicia mixta ex quibus extracta fuere: excogitarunt iterum eorum arcani simili tractare industria, ac simplicia mixta naturalia, ut iterum eorum puritatem & nitorem illius, ad supremum puritatis gradum eveherent, & ita omniū arcanorum virtutem multiplicarunt. Quod si faciliùs adhuc percipere & intelligere cupiant rerum chymicarum avidi, in eorum gratiam exemplum ob oculos ponam. Si in votis habeant arcanum verbi gratia minerale, agendi & transmutandi virtute, sibi ipsi una tantum vice præparato præcellere, habeant necesse est magnam quantitatem aquæ mercurialis puræ & nitidæ, & ad ultimum distillationis gradum devectæ; in ea dissolvant arcanū suum minerale, dissolutum putrefaciant, putrefactū dividant, divisum mundent omnino levissimis & subtilissimis sublimationibus & distillationibus, donec ad ultimum puritatis gradum deveniat. Sic mundatum uniant & conjungant & coquant tandem coctione levi, donec aqua mercurialis desiccetur, & desiccatum arcanum coquāt denuò, donec colores transierint omnes, & deveniatur ad ultimū & perfectum colorem, qui à Chymicis in Turba Tyrius appellatur, qui est Coccineus & Carbunculo similis: hac sola methodo & coctione virtus ejus centuplo erit vegetior, quàm priùs esset. Si verò iterum desic-

Impuri & crassi mixti actiones quare imbecilliores.

Methodus arcani perficiendi respectu multiplicationis.

Tyrius color qualis.

deſiccatum arcanum in flores ſubtili ſublimatione elevare queant, diſſolutione priùs facta, cùm oleo Saturni noſtri rubicundiſſimo, & coquant iterum ad ſiccitatem, arcanum abſolvent perfectiſſimum, cujus virtus millecuplo erit priori vegetior & potentior. Et ſic de ceteris arcanis fieri oportet, ut virtus eorum multiplicetur. Quoties enim arcanum animantium in votis erit multiplicare, fixum ſalem qui extractus eſt ex capite mortuo ſanguinis, dum flos ſalis ex ſanguine animali ſublimatur, habere oportet purum putum nitidum, & ad colorem rubicundiſſimum devectum & cum ſpiritu animalis qui eſt flos ſalis ejus, per putrefactionem in aquam perlimpidam diſſolutus, tincturam ejus extrahere, & cum hoc ſpiritu tincto, arcanum animale diſſolvere, & deinde coquere, ut figatur. De vegetantiũ arcano pariter agendũ erit, nec opus eſt tot repetitionibus uti. Arcanum n. animalium & vegetantium huic operi interpoſui in gratiam arcani mineralis, totũ enim quod dixi de aliis arcanis ſimilitudinariè & parabolicè dixi, ut referatur ad minerale arcanũ, & ut aliquid ſecretæ operationis hinc colligatur ad perficiendum arcanum minerale.

Oleum Saturni quale.

Arcani animaliũ multiplicatio.

Arcani vegetantium multiplicatio.

Quamobrem ſuſcipiant hilari fronte hoc opus Lectores, & gratiſſimo quàm poterunt animo, tanquã unicum benevolẽtiæ meæ, in homines omnes, & præſertim Chymicos ſymbolũ: Quod ſi aliquid rude, & demorſos non ſapiens ungues in opere meo reperiatur, ingratum auribus Lectorum, qui dulciſſimam tãtum & electiſſimam linguæ Latinę harmoniam audire ſunt aſſueti, dent quæſo iſtud Philoſopho, & quidem Chymico, cui non licitum eſt, pegaſeium effundere melos, quod Muſas colat ſeveriores inter ignes, cineres & carbones & furnos

Concluſio totius operis.

furnos educatas, tanquam Vulcani filias unicas, & alumnas cariſſimas. Hęc ſunt quæ ex veterũ dirutis monumentis, & invidia Chymicorum nonnullorũ ænigmatibus intricata, & involuta in lucem edere mihi viſa ſunt, ut Chymiâ jam notiore facta, quid valeant ejus humeri, & ferre recuſent, videant viri docti, ne ampliùs irrideant eam & contemnant: & ut etiam ſubſit anſa altiùs philoſophandi chymicis omnibus, ut tandē perficiant opus, & ad intentum colliment ſcopum; in quorum gratiã modò Deus ſufficiens mihi concedat ævum utriusq; medicinæ Spagyricæ & Hippocraticæ theatrum in lucem dabo, in quo partes omnes medicinæ tum theoricæ, tum practicæ, per ignem Vulcani chymici aderunt renovatæ: illibata tamen Hippocratis & Galeni doctrina, depreſſis Paracelſi vanitatibus, & irridendi ſuperbia & procaci faſtu. Et jamjam Myrothecium Spagyricum & Chirurgiam Spagyricam unà cum Palladio Lectoribus offero, reliquã brevi dabo tēpore, in quibus omnibus miranda & ſtupenda legent naturæ miracula. Deo laus & gloria in perpetuas ſit æternitates.

Libros quos promittit Author in lucem edere.

Authoris proteſtatiò.

Authoris proteſtatio ad Religionem Romanã.

Nefanda & impia vulgi de Medicis opinio quæ paßim dictitat, Medicos omnes eſſe ἀθέους & absque religionis ullius vinculo, liberam aut potius brutalem degere vitam, me compulit, hunc Chriſtianum operi meo imponere colophonem, quo omnibus univerſæ terræ populis palàm erit, me Catholicam, Apoſtolicam Romanamq́ fidem, Eccleſiam & Religionem colere, venerari, ac bonorum omnium, vitaq́ meæ periculo ac diſpendio defendere, tanquam ſalutis meæ & omnium mortalium unicum & verum propugnaculum. Quamobrem ſi quid in præſenti opere in conſultò contra ejusdem Eccleſiæ meæ ſacra dogmata reperiri contingeret, abdico, & veluti ſpurium abnego, & correctioni ſacroſanctæ Eccleſiæ Romanæ, ejusq; doctorum lituris ſubmitto, totumq; ultimò Virgini Mariæ conſecro, ac Deo Optimo Maximo acceptum refero, cui infinitas ſemper agam gratias, tanti memor talenti.

INDEX

INDEX IVXTA LITERA-
rum ordinem Alphabeti, in Palladium Spagyricum locupletissimus.

A

Y *sunt*

D.

E.

F.

Fumi

M.

Mate-

Partes

P

R

S.

Ventus

FINIS.

[illegible]